Rhetoricæ exercitia considerata respectu
Subjecti *ibid.*
Exerceri in quæstionibus, orationibus
Contradictoriis. In utramque partem
Absurdis *ibid.*
Periculosis
Collectaneis 1222
Quantitatis
Modi. Puta, vel
Memoriter
E scripto
Temporis. Declamationes
Præmeditatæ
Extemporaneæ
Rhetoricæ, seu eloquentiæ certamina. Puta
Rhetorum 1223
Politicorum 1224
Causidicorum
Rhetoricum judicium. De aliorum eloquentia
Rectum *ibid.*
Ineptum 1225
Rhetorices neglectus, contemptus, odium
In seipsis *ibid.*
In aliis.
Rhetores honorati. Vide *Honor.*
Rhetoribus statuæ positæ. Vide *Statua.*
Risus quid, ejusque etymologia, objectum, & commendatio *ibid. & seq.*
De eo apophthegmata 1229
Risui templa, & aræ erectæ olim 1226
Qui non riserint? *ibid.*
Ubi non riserint, vel ridere illicitum fuerit? *ibid.*
Cur non riserint; Puta ob
Spectra 1227
Scurrilitatem
Calamitatem
Præsentiam virorum gravium
Qui riserint? *ibid.*
In genere
Quos riserint? Ridiculi casus
Quomodo? Puta
Modestè
Effusè
Fictè
Quomodo videlicet 1228
In ortu
In morte
Inter Sacra *ibid.*
In lectione
In acroasi
Cur? ob
Stultitiam
Astum
Jocum
Adspectum rerum deformium
Ultionem
Tyrannidem 1229
Defensionem
Metum inanem
Repulsam
Cladem hostium
Fortunæ instabilitatem
Risus quis reprobatus *ibid.*
Robur quid, & unde dictum? 1230. V. *Fortitudo.*
Robusti in genere *ibid.*
Robur partis alicujus
Frontis 1231
Aurium 1232
Brachiorum
Manuum, digitorum
Agilitas utriusque manus
Alterutrius
Robur *ibid.*
Debilitas
Pedum
Robur consideratum per accidens, respectu Ætatis. Hue
Sedes
Robusti
Debiles
Sexus, robustæ mulieres
De robore apophthegmata *ibid.*
Rogatio quid, & unde dicta; *ibid.*
Vide *Oratio.*
Rogationum dies, eorumque institutio, & auctor 1233
Rogationum jejunium, & populi in eo obeundo pietas
In genere *ibid.*
In particulari 1234
Pietatis observantia miraculis confirmata *ibid.*
Rogationum violatio punita, *ibid.*
Roma, Romani. Nominis ejus etymon, varietas, & quæ illius causa 1235
Roma à quo, & quando condita? *ibid.* Urbis progressus, Amplitudo, muri, tituli, & elogia 1236
Epitheta varia, quibus à diversis decoratur ordine alphabetico digesta, 1237. Fortuna varia, & decrementa 1237
Romani imperii amplitudo, magnitudo 1238
Romam à Romano Pontifice in suo titulo possideri probatur
Ex donatione Constantini 1240
Ex possessione diuturna
De Romanæ urbis, & imperii amplitudine Scriptores *ibid.*
Ros, quid, ejusque etymologia, species, & causæ 1241
Rosa quid, unde dicta? Cui sacra. Cujus rei sit symbolum? *ibid.* Ejus usus 1242
Rosarium Genus orationis. V. *B. M.*
Rosa Hierichunta, illiusque appellatio, species, descriptio, Locus, color, & reliquæ qualitates, *ibid.* Symbolum, Vide *SS. Trinitas.*
Rusticus. Rusticitas quid, ejusque etymologia 1243
Rusticitas vitæ encomium, *ibid.* Studium. Vide *Agricultura.*
Ex rusticis creati magistratus *ibid.*
Rustici imperii Romani, Vide *Magistratus.*
Rusticitas. Rusticorum mores *ibid.*
Rustici, inurbani, insulsi in genere 1244
Rusticitatis modi, & distinctio *ibid.*
Rusticitas exercita
Non ridendo *ibid.*
Ludos turbando
Jocos, scommata aliorum non ferendo
Non spectando.
Spectaculorum neglectus,
Crudelitatem exercendo. Vide *Interfecti.*
Seditiones excitando. Vide *Inimicitia.*
Rusticitatis odium 1245
Rusticorum sacrificia *ibid.*
Rusticorum convivia
Puta
In ovium tonsura
Semente facta
Messe peracta, & frugibus reconditis
Rusticorum convivia hodie usitata apud Germanos, & alios 1246
Rusticorum victus ratio apud priscos. *ibid.*

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK,
ARCHIPRESBYTERO ANTUERPIENSI,

TOMUS SEXTUS.

Continens Litteras

P, Q, R.

* *Asterisci Titulis sive Generalibus, sive Secundariis, Rebusve sub iisdem contentis præfixi, posterioris Auctarii sunt indices.*

* Pactum.

DEFFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PACTUM, Græcè συνθήκη & συνθέσια paciscor dicitur. Dicitur autem pactum à pactione, inde est pacis nomen appellatum. Pactio enim duorum pluriumve idem placitum, seu consensus, *ut l. 1. ff. de pactis.* Vel sic: Pactum est, quod inter aliquos convenit: nam ut fiat pactum, requiritur, ut duæ voluntates in idem conveniant reciproco consensu.

Pactum, fœdus, Hebr. *Berith.* Cognationem habet vox illa cum verbo *Carath*, pepigit, succidit, cum quo etiam plerumque construitur. Habet etiam affinitatem cum verbo *Bathar*, discecuit, divisit per medium. Nam fœdera olim sanciebantur mactatione pecudum, quæ mediæ dissecabantur, fœderati autem per partes illas divisas transibant, internecionem eandem sibi impetrantes, si fidem fallerent. Vide *Genes. c. 15. Jeremiæ c. 14.*

PACTA INITA CUM VARIIS, ET INTER VARIOS.

Primum. DEI CUM HOMINIBUS. IN GENERE.

Memorat scriptura *Gen. cap. 9.* quomodo siccatis aquis diluvii, Deus pepegerit cum NOE, omnique illius posteritate fœdus, quòd ultrà non essent aquæ diluvii ad delendam universam carnem, atque in illius signum promittit se arcum suum posturum in nubibus, ut sit signum fœderis, inquit, inter me, & terram. Cum enim ad diluvium requiratur copia nubium, & aquarum, arcus autem cœlestis oriatur in nube rorida, opaca, & cava, idque ex reflexione radiorum solis oppositi, uti latius dictum est *in loco de Iride*, sive *Arcu cœlesti*; colligitur, quàm opportunum illud symbolum fuerit pacti, sive fœderis, quod Deus percusserat.

Est & aliud pactum Dei cum hominibus, quo ut bonitatem suam hominibus communicaret, nullis meritis nostris, sed sola dignatione misericordiæ suæ, bene operanti mercedem promisit, sic ut injustitiæ sit arguendus, si operum nostrorum oblitus promissa beatitudinis præmia non rependeret. De qua re vide suprà *locum de Opere, & merito.*

IN SPECIE.

Egresso ex ÆGYPTO Israele, postquam jam in formam Reipub. redegi cœpit, dixit Deus: Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum (præcepta scilicet, quæ per MOYSEN in monte Sina tradiderat) eritis mihi in peculium de cunctis populis: quasi dicat, eritis mihi peculiaris hæreditas, & velut omnis mea substantia: olim enim omnis substantia veterum in pecoribus erat, atque inde dictum est peculium. *Exod. c. 19.*

Rursus voluit observationem Sabbathi esse signum inter eum, & populum in cunctis generationibus eorum: addens, Pactum est sempiternum inter me, & Filios Israel. *Exod. c. 31.* quod Septuag. vertunt, Testamentum, sive fœdus æternum est inter me, &c. vocat Sabbathum pactum, id est conditionem pacti.

Denique renovat pactum suum cum eodem Populo, *Exod. c. 31.* legesque suas iterat, & allatis à Moyse tabulis Decalogum inscribit. Pactum autem hoc idem erat cum priore, quod ante iniverat, ut scilicet Deus esset populi Dominus, & protector: populus vicissim soli illi serviret, & obediret: quorum utrumque significabatur acceptatione, & exhibitione legis. Renovatur iterum hoc pactum, *Josue cap. 1.* Hujus autem pacti meminit David *Psalm. 88.*

In lege Evangelica Dominus, qui venerat non solvere legem, sed adimplere; quoties fidelibus suis præcepta salutis proposuit, & prævaricantibus illa damnationis reatum comminatus fuit, toties cum iisdem quædam velut pacta iniisse censendus erit: quomodo Adolescenti de vita æterna possidenda scisciranti respondit: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Huc adduci nonnulla poterunt ex Locis de Decalogo, Operibus, & Legibus. Item de pacto inito cum Abraham. *Vide Locum de Circumcisione.*

PACTUM SALIS. QUOD.

Deus in *Levit. cap. 2.* postquam varios sacrificiorum ritus

populo servandos præscripsisset; addit: Non auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. Rursus dum assignat Aaroni, & filiis ejus omnes primitias Sanctuarii dicit: pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi, ac filiis tuis. *Num. c.* 18. Notant hic Interpretes, hac loquendi formula significari perpetuitatem, sive firmitatem pacti, eo quòd sal sit symbolum æternitatis. Unde & priore loco appellat sal fœderis, quasi salem legis, hoc est illius firmitatem. Solebat enim in fœderibus sal adhiberi; nam victimæ cum mola salsa immolabantur ad sanciendum fœdus.

HOMINUM INTER SE.

Pacisebatur Jacob Patriarcha cum Laban, ut omnes fœtus ovium, & caprarum illius, quas Jacob pascebat, deinceps nascituri, si essent unicolores, cederent ipsi Laban: sin verò nascerentur sparsi, & varii coloris, vel fulvi, id est, partim albi, partim nigri, cederent Jacob. *Genes. cap.* 30.

☞ *Vide locum de Fœdere. Item de Actione. Matrimonio. Promissione.* Item videatur *Locus de contractibus, cum iste per hunc, & è converso hic per istum illustretur.*

PACTORUM DIFFERENTIÆ IN GENERE.

Juxta varias eorum Divisiones.

Multæ assignantur à DD. divisiones, ut videre est apud *Sylvestrum verb. Contractus, & verb. Pactum.*

Primò Contractus dividi potest in explicitum, & implicitum, sive in formalem, & virtualem.

Formalis contractus est, cùm expressè duo in idem conveniunt, cum obligatione mutua, vel saltem alterius erga alterum, & hic propriè dictus est contractus. Virtualis contractus est, cùm solùm implicitè conveniunt absque ulla expressa pactione se obstringentes. Hunc vocant, quasi contractum, ut tutela, & quodvis aliud officium, mandatum, & negotiorum gestio: qui enim aliquod officium suscipit, eo ipso se obligat erga alterum, & alter obligatur erga illum juxta leges, vel consuetudinem receptam. Similiter qui aliquid mandat, vel mandatum alterius suscipit; & qui negotium alterius gerit; in his enim non requiritur ulla conventio expressa; sed hoc ipso quod ista suscipiuntur vi legis, vel consuetudinis, in quam omnes consenserunt, tacita nascitur obligatio: & ideò non vocantur propriè contractus, sed quasi contractus.

Secundò contractus dividitur in nominatum, & innominatum. Contractus nominatus est, qui habet speciale, & proprium nomen, quo ab aliis distinguatur, ut emptio, venditio, mutuum, locatio, societas, commodatum, pignus, depositum, & similes.

Innominatus est, qui non habet nomen speciale, sed genericum tantùm. Hujus sunt quatuor species, do ut des; do ut facias; facio, ut des; facio, ut facias; ut si Petro des panem pro vino, erit contractus innominatus, do ut des, non enim est emptio, aut venditio; quia non datur pretium pro merce: nec est mutuum; quia non recipitur res ejusdem specici post certum tempus: nec locatio, aut conductio; quia non datur pretium pro usu, vel opera: sed datur una res pro alia, quarum neutra est pretium alteriùs, qui contractus proprium nomen non habet.

Tertiò dividitur in contractum bonæ fidei, & stricti juris. Contractus bonæ fidei sunt, in quibus judex multa potest ex æquo, & bono arbitrari, ut sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio, & similes.

Contractus stricti juris sunt, in quibus judex ad verba adstringitur, ut in stipulationibus, in contractu feudali, & emphyteutico, in promissione liberali, in donatione. Vide plurima de hac divisione *apud Covarr. ad regul. Possess. par.* 2. §. 6.

Quartò dividitur in lucrativum, & onerosum. Lucrativus est, in quo nihil rependitur; ut promissio, donatio, commodatum, precarium. Huc referri possunt testamentum, & legatū, quæ sunt donationes quædam in diem. Unde testamentum apud Græcos, & Hebræos vocatur pactum, & inter pacta numeratur: *Berith*, enim & διαθήκη, (quæ quidem valent, quod testamentum) passim in Scripturis pro pacto accipiuntur.

Onerosus est, in quo aliquid loco ejus, quod datur, debet reddi, vel præstari. Hic autem vel transfert dominium integrum, ut mutuum, emptio, &c. vel mutuum tantùm, ut feudum, & emphyteusis: vel usumfructum, aut usum; ut locatio, conductio: vel securitatem confert, ut pignus, hypotheca, fidejussio: cæteri contractus ad hos reducuntur, ut contractus censualis ad emptionem; depositi ad locationem, &c.

Quintò, Contractus, seu pactum dividitur in pactum nudum, & vestitum. Pactum nudum dicitur, quod in meris finibus conventionis consistit, omni alio firmamento carens: talis est omnis contractus innominatus, antequam ex altera parte sit impletus; nisi accedat ei formula stipulationis, vel juramentum, &c. Item omnis contractus, qui re perficitur, est pactum nudum, ante rei traditionem, ut donatio, mutuum, &c.

Pactum vestitum est, quod habet aliquid amplius, unde jure civili robur obtineat, vestitur autem sex modis. Primò, reipsa, ut si ex altera saltem parte sit impletus. Secundò, verbis; ut si accedat formula stipulationis. Tertiò, Litteris; ut si litteris fatearis tibi esse satisfactum, etiamsi satisfactum non sit: quod vocatur acceptilatio. Quartò, specifico nomine contractus: sic omnes contractus nominati, qui consensu perficiuntur (ut emptio, venditio, locatio, & similes) sunt contractus vestiti. Immò omnes contractus nominati sunt vestiti, si in suo genere sint perfecti. Quintò, Cohærentia cum contractu vestito, ut si vendam tibi domum 1000. aureis, cum pacto, ut illam adhuc inhabitem; & tibi pro inhabitatione dem hanc vestem. Pactum enim istud accessorium, per se est pactum nudum; tamen quia cohæret cum venditione, quæ est pactum vestitum, censetur etiam vestitum: nam accessorium sequitur naturam principalis. Sextò, Juramento; nam juramentum non minus confirmat pactum nudum, quàm quidvis aliud. *Vide Sylvestrum V. Pactum num.* 2.

Pædagogi.

☞ *Vide* TIT. DE MECHANICA. OPERÆ MECHANICÆ IN HOMINEM AGENTES.

PUBLICI. PRIVATI. ☞ *Pete ex loco de* MAGISTRIS.

Martyres effecti. EX LOCO DE MARTIRIO.

PÆDERASTÆ, id est, amatores puerorum, quasi παιδῶν ἐρασταί. ☞ *Vide Locum de Libidine, Luxuria, Zelotypia.*

Pagus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PAgus dicitur ἀπὸ τῆς πήγης, id est, à fontibus, circa quos rustici gaudent habitare. Estque vicus, in quo multa sunt ædificia conjuncta rusticorum, ex villis scilicet. Unde pagani, & villani dicuntur Rustici. Atque pagus sine communi munitione aliqua est, & hoc ab oppido distat, quod hoc munitione aliqua cingitur, non tamen ita firma, ut urbes: quamvis hodie confundantur appellationes oppidi, & urbis, cum muris, & fossis cinguntur.

PAGI CELEBRES.

In Regionibus, ubi oppida, & urbes rariores, contingit esse pagos, & vicos celebres, qui & nundinas hebdomadales habent, & commercia plurium rerum venalium. Certè in Brabantina nostra Campania Pagi sunt, qui suprà mille familias numerent, iisque promiscuè, ac plurimi inter illos, qui municipii nomine gaudent, ac nobilioribus etiam titulis insigniuntur, puta Baronatus, Comitatus, Dominii, ac utuntur Jure, & legibus civium, creantque magistratus, atque omnium disciplinarum cultura, & artium exercitatio in iis viget. Producunt enim homines unà cum ingenii maturitate, laboris, & studiorum patientissimos, qui paucis contenti vivant, neque multum solliciti sunt de alimentis necessariis, cùm omnes ciborum cupedias fugiant, polentam, & panicatas pultes in deliciis habentes. Etiam Flandriæ Comitatus hujusmodi municipiis abundat, quorum pleraque etiam celebriores urbes ædium splendore, & Incolarum frequentia, & opulentia longè superant. Præ cæteris excellunt Properinga, Roussellaria, Deinsa, S. Nicolai municipium territorii vvasiani, Bella, & plures vici, ac pagi, in præfato territorio vvasiano.

Quomodo apud Brabantos præcellunt Turnhoutum, Hoochstrata Comitatus, Hilverebeka, Tilburgum, Gela reliquiis S. Dympnæ nobile municipium, Oesterhoutum, & plura his si non celebriora, certe paria.

Neque caret suis Hollandia, inter quæ tamen, si non inter alia quævis Europæ, eminet Haga, in qua Curia Comicis est, mari ab occidente vicina, ædificiis quæ suprà tria millia numerat, & nobilitate, ac aliis pluribus prærogativis ornatur. De quibus consule *P. Bertum in sua Cosmographia.*

Etiam aliis Regionibus peculiaria, neque vulgaris nominis municipia, & pagos reperire est, præsertim in iis, ubi populi frequentia, & oppida rariora: ut in Polonia, Anglia, & quibusdam Germaniæ Provinciis. Ubi tamen propter obvia hostium vicinorum pericula, plerique pagi fossis, & muris cincti, urbium & nomina, & leges sortiti fuerunt.

PAGI

PAGI.

Exusti.

In Frichsaxio Saxoniæ pago, tres & viginti vici fulmine affati conflagrarunt, fulgura cælo delapsa præter solitū, domus de cœlo tactæ, homines & pecora extincta sunt, grando frugum calamos comminuit, lapidibus pluit. *Sigeb. ann. Dom.* 823.

Ann. Sal. 1304. ad oppidum Uredeland veteris Marchiæ, in solo Vandalico, in die S. Remigii cecidit grando de cœlo, in qua igniti lapilli, qui plurima excitaverunt incendia, si forte in stramina, & paleas, aut aliam incendio aptam materiam incidissent. Nihil fuit innoxium, quod illis contingeretur. Tecta rusticarum domuum, fœnum in horreis cum frugibus concrematum, ipsa in agris pecora afflata. *Crantz. lib. 7. Vandaliæ. c. 46.*

Anni fortassis LXX. effluxerunt, quòd Martinus Rossemius Ducis Geltriæ archistrategus, collecta manu per Belgium divagatus, omnes illius pagos miserè depopulatus fuit, incensis passim cœnobiis, nobilium palatiis, suburbiis, ac inter alias etiam Hagam diripuit. Manet etiamnum apud Belgas memoria miserandæ cladis, quam ille intulit, sic ut & à pueris decantentur, neque facilè eluenda sit macula, quam sibi inussit.

Anno elapso 1622. universa Germania, & bona Galliæ pars miserè depopulata est per factiones varias Protestantium, qui Fridericum Palatinum per vim in regnum Bohemiæ intrudere moliebantur. Quando etiam nothus, quidam Mansfeldiæ Comes, collecto perditorum quorumvis exercitu, varias Regiones pervagatus, omnia ferro flammisque tradidit, ac in Belgium tandem devenit.

Submersi.

Aschobrunnam vicum in pago Nitensi, subita imbrium inundatio quinto nonas Julii, ann. 878. intempesta nocte obruit: pecudes, jumenta, homines octo, & octoginta in cubilibus omnium ætatum, & sexus extinxit: casas, horrea, templa, arbores radicitùs evertit: adeò ut ne vestigium quidem illius apparuerit. Cadavera mortuorum, tellure pluviali humore soluta aliò delata, in finibus alterius pagi inventa sunt. *Sigebertus.*

Sub ULADISLAO Boemorum principe Vultavia fluvius decem cubitis supra pontem Pragensem, qui tunc ligneus adhuc erat, exundavit, plurèsque circum pagos cum ipsis paganis submersit. *Dubravius lib.* 11.

☞ *Vide Diluvium, Inundatio.*

PAGANISMUS.

☞ *Vide Ethnici.*

Paganalia.

☞ *Rusticorum convivia. Quære Rusticus. Item Convivia.*

Palatia.

De his nonnulla *in loco de Ædificiis, Sumptuaria Liberalitate, Prodigalitate.*

Palæstritæ.

Ex loco de Robore corporis. Certamine, &c.

* Palinodia.

A verbo Græco παλινῳδεῖν, quod est retractare, recantare, & quod semel leviter, malitiosè, aut absque informatione sufficienti dictum est, revocare. Unde Adag. Canere palinodiam. STESICHORUS Lyricus poeta (cujus meminit *Plato in Phædro*) cum Helenam carmine vituperasset, oculis orbatus. Intelligens autem (Achille, sicut scribit *Pausanias in Laconicis*, Helenæ jussu nunciante) cæcitatis suæ causam, protinùs palinodiam cecinit, Helenamque priùs vituperatam laudavit, itaque visum recepit. *Erasmus in Adagiis.*

* Palladium.

QUID OLIM. EJUS ORIGO. CULTUS. VENERATIO.

Apud VESTALES, ubi ignis perpetuus in penetralibus sacris velut sanctiores recessu asservabatur, colebatur Palladium, & dii penates Troja advecti, velut fatale pignus imperii, idque cum tanta veneratione, vel potius superstitione, ut nulli hominum, nisi Vestalibus, & Pontificibus adire fas esset. Ea autem est hominum superstitionibus imbutorum persuasio, ut sacra, à quibus procul arcentur, vehementius experant; & occultam vim majorem inesse opinentur. Natura enim vulgus ita est comparatum, ut plerumque id optimum, & salutiferum judicet, quod non intelligit.

Traditum autem est, Deos illos fictitios Troja allatos, fuisse duos juvenes veteris artis, & operæ, parvis imagunculis, sedentes, & more militari pila tenentes, tametsi Palladium ab Ænea advectum nonnulli Apollinem, & Neptunum ferant: alii Trojanam Palladem Romæ, & Lavinii, & aliis in locis demonstratam fuisse volunt, ita ut non conveniat inter auctores, neque etiam multum referret, si in historiis non tam frequens mentio hac de re fieret, qualia ista idola fuerint, satiusque esset ea nunquam extitisse.

De qua re *Pierius* multa memoratu digna recenset *in Hieroglyph. lib.* 42. estque in illa opinione, Palladium fuisse scutum, ut opinabantur, cœlo delapsum.

Apollodorus scribit, Ilum, cùm ex oraculi sententia in tumulo Phrygiæ, Ates, vel Noxæ dicto, urbem Ilium condidisset, & Jovem precatus esset, ut signum sibi aliquod ostenderet: postridie, ubi illuxit, à Jove dimissum Palladium ante tabernaculum consexisse. Id erat magnitudine trium cubitorum, ac pedibus ita compositis, ut ambulare videretur, dextraque elatam hastam, at læva colum, fusumque gerebat. Pergit quoque idem Apollodorus narrare fabellam sanè ridiculam, quam ipse appellat historiam de Palladio, eam, ut rectiùs cognoscatur, quàm densis, & absurdis tenebris gentiles isti immersi fuerint, huc ascribere volui. Minervam ajunt, apud Tritonem, cui filia Pallas erat educari cœpisse. Utrasque autem fuisse rei bellicæ studiosas, & in contentionem aliquando venisse. Verùm cùm Pallas Minervam esset vulneratura, Jovem pavefactum illi Ægidem oppofuisse: eam verò territam respexisse, atque ita à Minerva vulneratam concidisse. At Minervam ea de causa summo dolore affectam, simulachrum illi simile confeciisse, ac thoraci, pectorique ejus, quàm pertinuerit Ægidem accommodasse, & apud Jovem honoris ergo constituisse. Deinceps autem Electram per anni pestilentissimi contagionem ad hoc confugisse, ac secum id Palladium in terra Iliaca expositisse. Ilum postea in hujusce memoria templum à se conditum summoperè coluisse.

Cedrenus Græcæ Historiæ scriptor putat, Palladium ligneam Minervæ, quæ eadem Pallas dicitur, imaginem fuisse. Ajunt, inquit, id nefandis quibusdam dæmonum consecrationibus, arcanisque ritibus dedicatum, ea vi fuisse, ut urbem, in qua esset, inexpugnabilem conservaret. Id signum Troi Trojanorum regi Ilium condituto, Philosophus quidam, & innominatarum præstigiarum sacerdos, Asius nomine, dono attulit, in cujus gratiam Tros universam suam regionem hac Epirrhopam appellatam, ab ipso Asiam denominavit, &c.

Persuasum autem ita hominibus, vel eos ita fascinatos fuisse, ut his futilibus rebus fidem adhiberent, patet ex Homero, Virgilio, & aliis. Græci enim oraculis fidem habentes invictos Trojanos, eorumque urbem fore, quamdiù Palladio custodirentur, putabant. Ideoque Ulysses magna cum astutia illud clam abstulit, à quo ad Diomedem perveniisse dicitur, quem postea illud Æneæ in Italiam venienti admonitum, nescio quo oraculo, ut somniant, invitum tradidisse ferunt.

Virgilius hanc rem confirmat, ita scribens.

Omnis spes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit: impius ex quo
Tydides, sed enim, scelerumque inventor Ulysses
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas.
Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri
Spes Danaum: fractæ vires, aversa Deæ mens, &c.

Consentit & *Pausanias in Corinthiacis*, Minervæ signum, scilicet Palladium unum de his fuisse, quibus amissis capi Ilium potuit: verùm dissentit ab aliis Minervæ illud signum, non fuisse delatum, nec esse apud Argivos, ut ipsi dicebant: sed post Ilii eversionem Æneam in Italiam illud reportasse.

Polyænus verò *lib.* 1. *Stratagematon narrat*, Demophoontē depositum apud se Palladium ab Athenien sibus custodiæ causa, Agamennone repetente, tradidisse illud Athenien si civi cuidam, Bagitæ nomine, Athenas reportandum, aliud autem simile, & æquale factum, in tabernaculo habuisse, & Agamemnoni repetenti fictum Palladium tradidisse.

Ob hanc causam in tanta veneratione fuit, ut diximus. Tandem superstitio ista vanissima in fumum abiit. Tempore enim Neronis, cùm major pars urbis conflagraret, incertum

volente, ac invito Nerone, inter alia delubra Deum, Vestæ
A quoque cum penatibus populi Romani exustæ sunt. De qua re *Cornelius Tacitus lib. 15. Annal.* locuples est testis: quamvis non ignorem diversos diversè hac de re sentire.

Pallium.

Definitio, et Etymologia.

PAllium vestimenti genus, quod togæ, vel tunicæ superinduebatur. Hinc in Proverbium, Tunica pallio proximior. Sed dictum, quòd palàm gestetur, id est, foris, sive extrinsecus.

Quibus proprium.

Pallium erat vestis propria Græcorum, sicut Toga Romanorum: unde *Sueton. in Augusto* testatur, eum pallia, & togas distribuisse inter alia munuscula. Immò mandasse eum scribit, ut Græci Romano, & Romani Græco habitu uterentur. Quin & de Julio narrat, quòd convivaretur per Provincias duobus tricliniis, uno quo sagati, id est, milites sagum deferentes: palliative, id est, Græci ac peregrini: altero, quo togati discumberent. Igitur à Græcis Romani usum pallii acceperunt temporibus Augusti: quamvis etiam ante illa vetitum illis non fuerit pallia sumere.

B Philosophorum quoque vestis erat, ut tradit *Bayffus de re vestiaria. c.* Tandem Christiani statim primis initiis, tanquam veræ sapientiæ sectatores, etiam pallium tanquam decentem suæ professionis habitum sumpserunt, qua de re Tertullianus tractatum scripsit de pallio, ubi pluribus eam vestem commendat. Gentiles autem in eos hoc dicterium jactabant: De toga ad pallium. Vide eundem *c. 4. & 6. ejusd. libri.* Qui postquam multa de pallii forma, ejusque usu scripsissiet, tandem de seipso relicta Gentilitate ad Christianam Religionem côverso, quod togam abjecerit, & pallium sumpserit, ita ait: At ego jam me illi etiam divinæ sectæ, & disciplinæ commercium confero. Gaude pallium, & exulta: melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti. Hæc *Tertullianus*.

De Pallio sacro, ut est insigne Archiepiscoporum, & Episcopi Ostiensis. Vide quæ diximus *in loco de Episcopis*.

Usus. Quando.

Palliatos assedisse convivas mensæ, pluribus exemplis probatur, & de Adriano Imper. Ælius Spartianus testatur, quod semper, aut pallio, aut toga subnissa tectus discubuerit. Sic *Martialis*:

C *Ad cœnam venies, sed sic divisa recumbes.*
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Etiam Romanos in lectis pallio usos, Ovidio teste, affirmat *Bayffus*.

Nec in lecto pallia nostra sedent.

Christiani eo utebantur, cùm ad S. Synaxin convenirent: Græci, & Philosophi, si quando ad solemnem conventum, ludum, aut Gymnasium accederent.

Forma.

Hanc præscribit Tertul. libro allegato, in hunc modum. *cap.* 1. In viris autem pallii extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab utroque latere regestus, & cervicibus circumstructus, in fibulæ morsu humeris acquiescebat. *Et c. 6.* testatur, quatuor angulos habuisse. Ita *Deut.* 21. dicitur, Funiculos in fimbriis facies, per quatuor angulos pallii tui.

* Palpo.

D *Id est, Adulator, & potissimùm sumitur pro illo, qui laudat malefactorem, aut scelus patrandum commendat.*
☞ *Vide Locum de Adulatione.*

* Panis.

Definitio, Etymologia, Acceptio varia.

PAnis, Græcè ἄρτος, dicitur. Panis autem forma substantialis consequitur mistionem farinæ, & aquæ, & ipsam ustionem. *Ex B. Thom. 4. sent. dist. 1. q. 11. art. 1.*

Panis furnaccus, qui in furno coquitur, à Græcis κλίβανος, clibanos dicitur: & subcineritius, qui sub cinere, & focarius, qui in foco.

Panis azymus est panis, sine fermento, à Græcis enim fermentum ζύμη dicitur.

Panis dicitur à pascendo, ut *Varroni* placet, unde pappa deducitur, qui propriè est cibus puerorum: ut sit pappo verbum, hoc est edo, cibum sumo. Plaut. *Novo libento opus est, quòd pappet.* Isidorus panem dictum vult à πᾶν, id est omne: quia cum omni cibo apponatur: vel quod omne animal eum appetat. *Plut. 8. Sym. Probl. 6.* panem ὡς πάντων ἄνιστα, quòd famem F sedet, vult dictum. A panis fit panifex, qui panem facit, & panifica mulier, panem faciens, & panificium, ipsa panis factura.

Acceptio varia.

Panis, Hebr. *Lechem*, omnis cibus, quê dentes incidunt. *Deut.* 8. 3. *Ps.* 136. 25. *Lechum*, cibus masticatus jam digestus in ventriculo, *Job.* 20. 23. *Soph.* 1. 17. *Lachem, & Michamach.* bellum, prælium, cædes, concisio hominum, incisio, quæ fit acie, & ore gladii *Deut.* 2. 15. 1. *Sam.* 8. 20. & 18. 17. *Ps.* 14. 4. 1. à verbo *Lacham*, incidit dentibus, vel conscidit ore gladii, comedit, exedit mandendo, & concidendo, de pane propriè dicitur, figuratè autem de prælio, ubi gladius utrinque devorat bellatores; quorum alii aliis veluti cibus devorandus obiiciuntur. De impiis etiam dicitur *Ps.* 14. 4. & 27. 2. quod pios veluti cibum comedant.

Sunt autem obvia passim in scripturis exempla hujus acceptionis, ubi panis synechdochicè pro omni cibo usurpatur, eo quòd sit cibus communis omni homini, quamvis ex varia materia apud varios conficiatur, parabilis, ac necessarius: juxta illud vulgatum: *Petere quid est panis? sine quo cibus omnis inanis.* Sic dicitur *Genes.* 43. quod non potuerint Ægyptii cum Hebræis panem comedere, id est, cibum capere, φαγεῖν F ἄρτον, & 2. *Reg. c. 6* Pone panem, & aquam coram eis, ut comedant, & sequitur, fecit eis convivium magnum.

Certè etiam apud Ethnicos, Panis, & aqua tanquam necessarium hominum alimentum sumuntur. *Menandri* versus affirmat:

Ἐπεὶ δὲ βίβρωσκ' εἶ, πλὴν ὕδωρ μόνον
Δίψαρχος ἀκτὴς πωμάτων ἓ ὑδρηχόον
Ἄτερ πάσχει, ὃ πίνων ἡμᾶς τρέφει.

Hoc est. *Nam quid est, quod homines desiderent præter duo solùm. Nempe Cereris, & aquæ potionem? Quæ in promptu sunt, & nutrire nos possunt.*

Accipitur etiam vox Panis, ut significet generaliter res quasvis ad hominum sustentationem necessarias, tam quoad cibum, quàm cultum corporis: sic petimus quotidie panem in oratione Dominica. Sic & Germani, & Belgæ usurpant, cùm dicunt lucrari panem, de eis, qui arte, vel opificio vitæ necessaria conquirunt. Panem namque à pascendo dictum vult Nonius Marcellus, ut suprà diximus.

Panis denique accipitur pro sacra Eucharistia, quæ subinde G hoc nomine appellatur, ob rationes, quas infrà titulo particulari *de Pane benedicto, & Eucharistico*, proferemus. Item Panis cœlestis de Manna dicitur *Joan. 6.* Et per metaphoram, panis doloris, *Psal.* 17. Afflictionis, *Deut.* 16. Mendacii. *Prov.* 20. Angustiæ, 1. *Reg.* 22. Insuper de verbo Dei.

Panis Genera. Differentiæ.

Ac primum de Pane Azymo, qui & *Judaicus. Et reliquis generibus, quorum Sac. Litteræ meminerunt.* Vide Locũ de Azymo.

Panis Fermentatus.

Est is, in quo apponitur fermentum, id est, farina, quæ subigitur priusquam addatur sal, decocta ad modum pultis, sibique relicta, donec acescat: ita dictum, quod fervendo crescat. Sunt qui spuma concreta pro fermento utuntur, teste *Plin. lib. 18. c. 7.* Alii melle, quod pani est instar fermenti, ut docet experientia.

Usus illius vetitus. Quibus, & quando.

Postquam filii Israel ex Ægypto egressi erant, 30. diebus inquit Josephus, comederunt azyma: tot enim diebus durabat pasta illa farinacea, quam in Ægypto exeuntes confecerunt: atque deinceps voluit Deus, ut in celebratione H Paschæ quotannis 7. diebus comederent azyma, quibus priores 20. dies representabantur. Additur autem. Quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel. *Exod.* 12. Hinc colligimus, fuisse capitale Judæis, in diebus azymorum comedere fermentum. Immò etiam mortale peccatum propter severam justionem legislatoris.

In Levitico quoque præcipitur: Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet. Quamvis enim panis fermentatus magis sit sapidus, & ad digerendum facilior, noluit tamen Deus eo uti Hebræos in sacrificio, tum propter illius puritatẽ; azymus enim panis est purior; tum ut perpetua illis insideret memoria liberationis ex Ægypto. Denique quia fermentum adumbrat secundùm D. Paulum 1. *ad Cor. cap.* 5. nequitiam, & veterem hominem, qui à sacris Dei procul abesse debet.

In nova autem lege materia Sacramenti Eucharistiæ necessaria, necessitate præcepti, est panis azymus, & peccaret mortaliter, quia in re gravi delinqueret, qui fermentatum adhiberet. Videatur *Locus de Sacramento Eucharistiæ*.

Panis subcineritius.

A Frequens illius mentio, & usus apud Hebræos. Siquidem egressi ex Ægypto, primis 30. diebus illos coquebant ex massa azyma, quæ facilius coquitur, quã fermentata. Unde Scriptura memorat, quod in Sochot coxerint panes subcineritios.

Etiam Elias respexit ad caput suum, viditque panem subcineritium, & comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius.

In lege naturæ familiare fereulum erat, quod hospitibus apponebatur, subcineritii panis. Sic legimus, Abraham, cùm excepisset tres viros *Genes. c.* 18. jussisse Saræ, ut acceleraret, ac tria sata similæ commisceret, & faceret subcineritios panes. Illi namque extra clibanum coquebantur sub cineribus. Hebræi vocant עגה Ugga, quasi panem ustulatum.

Quod autem Hebræi olim, etiamnum facere dicuntur Saraceni, & Mauritani, quotidie enim in vase fictili farinam subigunt, & panem in singulos dies coquunt, ut ita sit recentior, & ad hospitum adventum illico parabilis.

Panes propositionis.

Unde dicti, & qui?

Panes propositionis vocantur panes, qui ex præcepto divi-
B no *Exodi cap.* 25. *vers.* 30. singulis sabbathis recentes proponebantur, sive ponebantur in mensa ante arcam, sive in conspectu Domini. Utpote qui in arca se exhibebat præsentem. Hebraicè appellantur *Lachme panim.* Hoc est panes facierum. LXX. vertunt ἄρτοι ἐνωπίου, id est, panes faciales, quia ante faciem Domini ponebantur. Non verò, ut nugantur Judæi, eo quòd duas facies, id est, superficies similes haberent, uti nostra liba, aut hostiæ.

Quot numero. Unde. Quantitas. Ritus. et a Quo Confecti.

Fuisse xii. numero juxta numerum filiorum Israel, colligitur *Levit. c.* 24. unaquaque enim tribus velut suum panem Deo offerebat, & protestabatur se velut à Deo sustentari, & alimentum accipere: ac Deus vicissim eorum memoriam, & memoriale semper ante oculos habebat, ut eos alere pergeret.

Ad hos autem panes populus similam conferebat, Atque ex hac non laici, sed ipsi Levitæ, puta Gaathitæ, panes conficiebant, & coquebant, ut patet 1. *Paralip.* 9. & 23.

C Habebant autem juxta Dei mandatum singuli duas decimas, erat autem decima, pars decima Ephi, sicut Ephi decima pars Cori. De quibus vide, quæ diximus *in loco de Mensura*, ac juxta ponderum nostratium quantitatem quilibet panis appẽdebat libras xii. cum media, alii xvi. existimant ponderasse.

Secundò, hi panes fiebant ex simila purissima, cui subigendæ pro aqua infundebatur olei purissimi quarta pars hin, id est, olei libræ tres, puta unciæ 36. Deinde simul cum panibus apponebant quartam partem hin vini (quod posteà Deo libabant) id est, vini libras tres cum quatuor unciis. Est enim vinum oleo gravius.

Hinc tertiò, hisce panibus imponebant thus, ut significarent, se omnia Deo debere, seq; omnia Deo accepta referre per panes propositionis, quos cum thure semper ponebant ante Dominum, thus enim significabat panes oblatos esse Domino, tamquam qui Domini sint, illiq; debeantur. Porrò thus hoc elapsa hebdomada, cùm panes auferrentur, & novi subrogarentur, adolebatur Deo cum sacrificiis, uti jussum est *Levit.* 2. *vers. ultim.*

Quartò, addunt Septuag. Cald. & Philo, panibus hisce impositum fuisse salem. Hæc enim erat quasi mensa Dei: sal au-
D tem in omni mensa apponi solet, ut cibos condiat, & sapidiores reddat: nam *Levit.* 2. *vers.* 13. ita præcipitur: In omni oblatione tua offeres sal.

Quintò, singulis sabbathis panes novi, recentesque, & calidi ponebantur in mensa, ut patet *vers.* 8. veteres verò tollebantur, eosque comedebant sacerdotes: iis enim solis hisce panibus vesci licebat, ut patet *Matth.* 12. *vers.* 4.

Sextò, erant hi panes azymi, & quisque eorum ponderabat duas decimas, id est, libras tredecim cum dimidia; erant ergo magni panes. Undè.

Septimò, in mensa ponebantur seni, & seni panes altrinsecus; id est, alteri contra alteros, ita ut sex sibi invicem imponerentur, instar duarum turriũ; vel potius, & concinnius, ut bini singuli jungerentur, quorum unus alteri imponebatur, ita ut duo essent ordines panum, ut scilicet primo ordine, infernè in mensa ponerentur tres panes consequenter, qui singuli haberent alium sibi superpositum: deinde juxta eos poneretur alius similis ordo trium panum, cum tribus aliis eis impositis. Probabile est, panes, singulos impositos fuisse magnis acetabulis, sive crateribus infernè, supernè verò tectos fuisse (ne à pulveribus, & à muscis fœdarentur) aliis vasis, quæ thuribula vocantur, *Exod.* 25. 29. *inquit Vilalpando, & Vatablus.* Denique utrique panum ordini utrimque apponebatur 1. una phiala, id est, universim duæ phialæ plenæ thure. 2. vasculum sale plenum. 3. cyathus cum vino utrimque, id est, duo cyathi, qui pariter cooperti fuisse videntur, tum ob muscas, & pulveres, tum ne vini vis evaneseeret, & acescseret.

Octavò, hi panes ex publico offerebantur, scilicet populus offerebat similam optimam, eamque pinsebant Levitæ. Addit *S. Hieron. in Malach.* 1. Panes, inquit, propositionis, juxta traditiones Hebraicas, ipsi sacerdotes ferere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant. Verum hæc traditio non convenit cum Scriptura, nec cum Josepho.

Eorum Tropologia, et Allegoria.

Tropologicè hi panes significant opera misericordiæ, quibus ad Sanctum Sanctorum, id est, ad cœlum accedimus, qui semper debent esse in conspectu Domini: quia semper ad ea parati esse debemus.

Secundò, debent esse duodecim, id est, copiosi, & liberales, ut non uno die, aut hebdomada, sed qualibet largam eleemo- F synam demus: duodenarius enim est symbolum universitatis.

Tertiò, imponitur eis thus lucidissimum, quia hæc charitatis opera fieri debent, non ad vanam gloriam aucupandam, sed solius Dei intuitu, utque ei soli sacrificium hoc charitatis offeramus.

Quartò, imponitur eis sal, ut significetur cum discretione hæc opera esse peragenda; ut magis indigenti, & utili ea impendamus. Rursum sal, mortificationem, quæ jejunio, aliisque modis fit; thus orationem significat, nam ut ait Angelus ad Tobiam *cap.* 12. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna.

Quintò, per singula sabbatha mutantur, quia die Dominica solent Christiani facere collectas eleemosynarum, ut patet *Cor.* 16. 1. rursum, cùm novum sabbathum venit, id est, cùm novum beneficiũ accipimus, aut acceptum recordamur novas eleemosynas facere, Deoque per eas gratias agere debemus.

Sextò, panes erant azymi: quia eleemosyna jungi debet cum puritate vitæ; erantque panes magni, quia magna de- G bet esse eleemosyna, nam, ut ait B. Chrysost. Eleemosyna non depauperat, sed ditat; promissum est enim: Date, & dabitur vobis.

Septimò, seni erant à dexteris, & seni à sinistris: quia tam in inimicos, quàm amicos benefici esse debemus, ut vincamus in bono malum.

Octavò, fiebant è simila optima: quia non vilia, sed meliora Deo, & pauperibus sunt danda. *Ita Ribera lib. 2. de templo c.* 11.

Audi illustre misericordiæ, & beneficentiæ apud Gentiles exẽplum, quod refert. *Valer. Max. lib. 4. c. 8.* Erat, inquit, opibus excellens Gillias, sed multo etiam animo, quàm divitiis locupletior, semperque in eroganda pecunia potius quàm in contrahenda occupatus: adeò ut domus ejus quasi munificentiæ officina videretur. Alimenta inopia laborantibus, dotes Virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum in cursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissimè excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit, ac vestivit. Quid multa? nõ mortalem aliquem, sed propriæ fortunæ benignum diceres esse sinum. Quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat. Allegoricè hi panes significant Eucharistiã, in H qua sub specie panis corpus Christi proponitur. *Ita S. Hieron. in 1. Malach. Cyrill. catech. 4. mystagog. Damasc. l. 4. 14. Isych. & Rupert.* Hic panis est duarum decimarum, id est, duarum naturarum: Christus enim & Deus est, & homo, suntque duodecim panes: quia primi cœnam hanc Eucharisticam cœnaverunt duodecim Apostoli. Imponitur eis thus, id est, gratiarum actio, & oblatio, quæ principatum tenet in Dominica cœna, inquit Isychius, non licèt eos comedere, nisi in loco sancto, id est, in pura, & sancta anima, ac conscientia.

Panes primitiarum.

Erant præterea Panes primitiarum messis triticeæ, qui dabantur sacerdotibus, & in eorum esum, & usum cedebant.

Eorum Oblatio.

Constat *Levit. cap.* 23. *vers.* 16. quòd singulæ familiæ hasce panum primitias in Pentecoste offerre debebant: secus erat de manipulo spicarum in Pasche, & licèt Abulens. id ita intelligat, non quòd singuli ex proprio agro, vel domo hosce panes afferrent Hierosolymam, sed quòd singuli Hierosolymæ

duos panes tales emerent, eosque in templo offerrent, sicut
A & columbas, & victimas alias (unde horum omnium erant venditores Hierosolymæ, quos Christus ejecit è templo) tamen Script. Hebræa contrarium docet, sic enim habet: Ex omnibus habitaculis vestris adducetis panes elevationis duos, quæ verba satis significant, quemque proprios panes ex sua domo adducere debuisse ad templum, ut videlicet singuli suarum frugum primitias, in gratiarum actionem Deo penderent. Hæc enim una fuit causa, cur festum Pentecostes sit institutum, scilicet, ut in eo primitias panum Deo offerrent. *Ita Josephus lib. 3. Antiquit. 10.*

PANIS BENEDICTUS.

☞ *Quære de hoc fusè in loco de Benedictione. Item ex Professo in loco de Amuletis. Ubi de usu veterum benedicendi panem, & vario illius effectu latè disseritur.*

Etiam hodie per totam Galliam, & aliis etiam locis usus obtinuit, ut die Dominico peracta concione ingens panis à Parocho benedicatur, & omnibus distribuatur, qui particulâ à Parocho acceptam domum deferunt. Qua quidem in benedictione, non ubique eædem cæremoniæ adhibentur: quamvis forma benedictionis sit eadem, à Cæremoniali, sive Rituali Romano præscripta. *Vide Alanum c. 7. & 49. part. 2.*
B *Apologetici. Joan. Molanum de Eulogiis.*

PANIS CATECHUMENORUM.

Olim Catechumenis dabatur panis benedictus, ut testis est Augustinus *lib. 2. de pecca. merit. cap. 26.* antequam admitterentur ad S. Eucharistiam; idque in symbolum amicitiæ, & communionis. Hunc Latini Buccellatum, Græci ἀντίδωρον, & ἰλογία'ν vocabant. August. *Epist. 3.* buccellatum fraternitatis vocat. Eratque bis coctus inquit Guil. Stuchius, ut etiam frugalitatis esset index, *lib. 1. Antiq. Convivial cap. 3.* De Eulogiis fusè quædam dicta sunt *in Loco de Benedictione.*

Panis autem Buccellatus est panis coctus ad usus diuturnitatem, quo milites pasci in castris solebant, ut scribit Marcellinus, *lib. 17.* & nautæ ad longinquas Regiones navigantes, eorumdem copiam intra naves sumunt. Unde & Nautici vocantur.

Bis-coctus.

Buccellatum, vel bis coctum pro eodem usurpant Latini. Romanis priscis, auctore Festo, & Svida, παξαμιδιον, sive παξαμας, fuit appellatus: qua voce Leo de re militari utitur, & deducitur ab Inventore Paxamo coco. Ruidum, sive Rubidii
C vocat Lambinus interpres Plauti. De eo etiam *Martialis.*

Oret caninas panis improbi buccas, id est, buccellas.

Unde & Buccellarii Equites per Orientem dicebantur, qui minima annona vivebant.

Militaris.

Panis militaris duo genera ex historiis veterum eliciuntur. Siquidem Valerianus Imper. *in Epist. ad Flav. Vopiscum*, petit Romam duci misso dari panes militares mundos XVI. castrenses XL. utebantur autem Romani pane ex tritico, qui validissimus, & saluberrimus est.

Etiam ex hordeo panis conficiebatur, sed jumentorum usui destinabatur, non hominum, tamen si milites in castris deliquissent, nonnunquam hordeaceis panibus in pœnam vesci cogebantur. Ita *Polyb. cap. 6.*

Eucharisticus.

Christus Dominus *Joan. 2.* promittens sacramentum corporis, & sanguinis sui, dicit: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Item, Hic est panis, qui de cœlo descen-
D dit. Ac frequentius cum in Actis Apost. tum in Epistolis Paulinis vocatur nomine panis. At malè hinc inferunt Calviniſtæ, non esse idcircò corpus Christi: malè Lutherani, esse ibidem cum pane, dum sumitur.

Nam, quod nonnunquam Eucharistiæ vocetur panis etiam peracta consecratione, fit primo juxta communem modum Scripturæ, quæ solet ordinariè vocare rem aliquam, sicut exterius ea appareat. Sic serpentem æneum serpentem vocat, Angelos apparentes, viros: itaque quia Eucharistiæ forma, quam intuemur, est panis, idcircò panis nomine aliquando vocatur.

Nisi secundò dicamus vocari panem per tropum, quia fit ex pane, quomodo virgæ conversæ in dracones vocantur virgæ etiam post conversionem. *Exod. 9.*

Tertiò vocatur panis, quia hoc nomine omnis cibus denotatur

Denique, quia sicut inter cibos panis est maximè nutritivus, & solidus: perinde etiam Eucharistia cibus est spiritalis, & substantialis, dans vitam mundo. Qui enim manducat hunc panem, vivet in æternum. *Joan. 6.* Itaque dicitur panis, quia retinet speciem, & operationem panis.

Gradilis.

E

Panem gradilem vocabant à gradilibus, in quibus instar eleemosynæ, aut donativi distribuebatur. Primum enim frumentum civibus dabatur, tum postea cœpit dari panis, quia is commodior egenti plebi erat. Videntur autem in singulis urbibus gradus ad hanc dispensationem fuisse erecti. Meminit hujus rei Prudentius. *lib. 1. contra Symmachum.*

Qui quem panis alit gradibus dispensus ab altis.
Iterum: Quæ regio vacuis gradibus jejunia dira
Sustinet & &c.

Caninus.

Veterum mos erat, cœna peracta, panis frusto manus suas abstergere, & deinde canibus, quos plerunque menſis adhibebant, proiicere vorandum. Lacedæmonii ob id κυνεδα, & Græci μαγδαλιαν vocabant hujusmodi bolos. Hinc & Proverbium in parasitos natum, κύων ζῶν ἀπο μαγδαλιῶν: Canis vivens ex magdalia, sive projecta ossa. Juvenalis *Satyr. 5.* fectatores mensæ divitum comparans, inquit:

F —— *Cum possis honestius illic* (scilicet loco mendicantium)
Et tremere, & sordes farris mordere canini, id est.

Panem sordidum, qui canibus obiiciebatur. *Varro in re Rustica*, Hordeaceum panem canibus objectum existimat: μυσιον quoque Græcis panis dicitur cavus, quo jus sorbetur: foletque etiam canibus proiici. Latini, teste Pompejo, hujusmodi panes canicas vocant. *Cælius lib. 9. cap. 9.*

DECUSSATUS.

Ubi, & de fractione panis.

Apud Judæos viguit consuetudo non incidendi, sed frangendi panem: idque non modò Eucharisticum, de quo statim, verùm etiam communem. Quippe moris apud illos erat, ut conficientes panes, eos incisionibus in particulas plures signatos coquerent: quod quidem ex Rabbino rerum Judaicarum antiquarum perito accepimus; eos sic incisos coquere solitos panes, ut sic ad esum non esset opus illos incidere, sed solùm frangere; sicuti facere solent etiam hodie in placentis azymis. Indeque evenisse putamus, quod de buccellis comedendis in divinis Scripturis frequens mentio reperitur.

Sicut etiam apud Romanos constat fuisse usu receptum, ut panem quemlibet, placentamve, quadrifida decussatum G incisione, ad dividendum postea in partes quatuor, coquerent; cujus singulæ partes quadræ nominarentur, non quod quadratam figuram referrent, sed quod quarta pars panis esset.

Habes enim id imprimis à *Virgilio* descriptum his versibus, cùm ait de conficiente panem:

Format opus, palmaque suum dilatat in orbem,
Et notat expressis æquo discrimine quadris.

De iisdem quadris *Horatius lib. 1. epist. 17.*

Qui dicit: Clamat, Victum date: succinit alter,
Et mihi dividuo fundetur munere quadra.

Et Martialis lib. 3. Epigramm.

Nec te libajuvat, nec sectæ quadra placentæ.

Et lib. 9. Epigramm.

Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

Et Juvenalis Sat. 5.

Ut bona summa putes aliena vivere quadra.

Licèt pro mensa alii quadram acceperint, sicut & in illo Vir- H
gilii *Æneid. 7.* —— *patulis nec parcere quadris.*

Cæterùm, *teste Varrone lib. 4. de ling. lat.* tempore dictorum poetarum mensæ solebant esse rotundæ, & non quadratæ, unde & complures poetæ orbes posuere pro mensis: quod antiqua marmora docent, exhibentia mensas orbiculares.

Quod verò ad morem frangendi panem attinet, constat, Christum eo fuisse usum, ac potissimum in ultima illa cœna, Accepit panem, benedixit, ac fregit, & ita distribuit.

Discipuli quoque in Emaus cum cognoverunt in fractione panis: ubi quidam volunt, sed gratis, & absque fundamento, Christum peculiari modo, & cæremonia panem fregisse. Vide *Maldon. in c. 24. Lucæ.* Alioquin frangere panè in Sac. Litteris, sumitur pro cœna Eucharistica. Sic dicitur in *Actis Apostolor. c. 2.* quòd Apostoli erant perseverantes in oratione, & communicatione fractionis panis. Ubi notant Interpretes, mentionem esse de Eucharistia, quæ fractio dicitur panis. Solebant enim Eucharisticum panem post cœnæ frangere, & adstantibus impertiri: qui ritus apud Judæos erat, ut diximus; ut

pater

pa terfamilias panem convivis distribueret. Ad eum modum
A dicit Paulus *1. Cor. 10.* Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? loquens de Eucharistia: nempe in Sacramento specie corporis Christi frangimus, & comedimus. Fractio sanè illa monet nos, Christi corpus in passione fractum, & laceratum fuisse.

Fractio Eucharistiæ abolita.

A multo tempore non usurpatur fractio, sed singuli panes, seu minores hostiæ consecrantur, ad vitandum periculum decidentium micarum, & quod oporteat laicos alioſque etiam ministros sacros, præter sacrificantem, minore contentos hostia esse, testis Osvvaldus Mulser, qui cum majorem poscoret, divinitus gravem sustinuit suæ temeritatis pœnam, ut testatur Tilmanus Bredebachius, ex tabula ænea in templo pagi Sened propè Oenipontum pendente. Ecclesia Græca, & Æthiopica retinet veterem illam consuetudinem.

Panis varius, ejusq; nomina varia, Ratione Materiæ, ex Qua Conficitur.

Panis ratione materiæ, qua constat, varietatem nominis,
B & saporis, adeoque substantiæ sumit: Dicimus siligineum, quem veteres aliis præferebant: triticeum, avenaceum, hordeaceum, furfuraceum, cui furfur simul cum tritico commiscetur, quem Græci ὠτόπυρον seu συγκόμιστον, cui nonnihil pollinis tenuissimo incerniculo adimitur, qui à Celso quoque Hypocrate laudatur. Hic etiam Civilis dicitur, à frequenti civium usu.

Æthiopes ex orindio semine panem pinsebant, qui orindes dicitur, ex re, qua confectus est.

Et Oritæ Ithiophagi ex piscibus (quos unguibus dissectos sole torrebant) panes conficiebant, *teste Plinio lib. 7. c. 2.*

Ægyptii pistores, ex semine loti, simili milio, maximè aqua, vel lacte subacto, quo pane negatur quicquam, & salubrius, aut levius dum calet, ut idem auctor testatur *l. 22. c. 21.*

Sicut à lente (φακῆ) phacinus.

Sic & militaris panis in usu militiæ.

Panis amylus ex amylo, id est, molita farina factus.

Sordidus, id est, Frumentaceus.

Ita apud Budæum, primarius, secundarius, civilis.

Sunt & Obeliæ, vel à figura, vel à pretio oboli.

C Nastus panis ex melle, uvis passis, ac aromatibus conficiebatur, unde erant nastocopi.

Mystile panis excavatus est, quo jus sorbetur, ut in aulicis videtur, quoties cochlearia præsentia non adsunt, quem quoque & ipsis canibus obiiciunt, ideò Pompejus canicam vocat.

Boves, à præfixis cornibus dicti panes.

Selene à forma lunæ cornicularis.

Bonulii, latinè quadrati, & sunt Romboides.

Huc referuntur & formæ placentarum, veluti quæ ex tritico est pyramus: ex sesamo sesamus, Crepis (κρηπὶς) ex melle, & farina, & aliæ id genus, quas frequens autorum lectio suppeditabit. Nam has nostri panifices, seu artopœi, quos Plaut. ἀρτοκόπους vocat, non facilè pinsunt.

Pistores tamen dulciarii, qui etiam crustularii dicuntur, in quibusdam locis ex saccaro, pineis nucibus, aut amygdalis contusis panes conficiunt, qui ab aliis massa panes, quasi mazæ, ab aliis Martii panes dicuntur.

Caligula Imperator Romanus, & panes, & obsonia exauro convivis appositi, teste Suetonio.

D Nostra quoque tempestate in cœnis saliaribus nonnunquam panes, bellaria, ostulæ insulatæ, carnes, & id genus, cætera inaurata apponuntur.

Panis Symbolum. Amicitiæ, Fœderis.

Apud antiquos duo maximè insignia fœderis, & amicitiæ symbola fuerunt, panis nimirum, atque sal, quorum quidem usu, esuque fœdera, atque amicitiæ olim contrahi solebant.

Nam ut de pane primo loquar, cui dubium est, quin sacri, & mystici illi veteris Testamenti panes propositionis, sive facierum, symbola fuerint, cùm Christi, tum fœderis illius, quod est inter Deum atque homines?

Apud Macedones patrio ritu fœdus, quod sanctissimum vellent haberi, sic inibant, ut panem gladio divisum uterque libaret.

Itaque Alexand. Magnus totius ferè Orientis victor, ac domitor, cùm erga Rhoxanem Satrapis barbari filiam, in convivio visam, amore exarsisset, panem sibi (id quod ritu Macedonico sanctissimum cocuntium pignus erat) afferri jus-

sit, quem cùm gladio dissectum uterque libasset, illam sibi matrimonio junxit, *testis est Q. Curtius lib. 8. Cælius lib. 28. c. 15.* E

Apud nos quibusdam locis similis ferè mos est: nam panis, postquam sponsus, atque sponsa cum suo comitatu è templo post nuptiarum consecrationem ad sponsi ædes pervenerunt, ex ædibus affertur in frusta dissectus, ex quo sponsus primo frustum accipit, ac degustat, deinde illum sponsæ porrigit, quæ & ipsa postquam similiter partem accepit, & degustavit, reliquum panem post tergum reiicit, qui à pueris ac reliquis nuptialis pompæ spectatoribus certatim arripitur.

Ἀρτὸν μὴ κατατιλνειν, hoc est, panem ne frangito, quo admonebat, non dirimendam esse amicitiam, quæ antiquitus pane conciliabatur.

Sic Galatinus, Erasmus, & alii interpretantur. Panis enim, ut Galatinus inquit, mysterium est amicitiæ.

Unde & Christus, inquit Erasmus, princeps noster, distributo pane, perpetuam inter suos amicitiam consecrabat.

Præter panem autem illum mysticum cœnæ Dominicæ, qui quidem expressum est, & luculentum, ut Paulus Apostolus pluribus docet, Christianæ φιλαδελφιαι symbolum.

Hinc *Origenes Matthæum*, sic alloquitur de Juda. Neque F salis ejusdem, neque mensæ, neque panis communicati memor.

Apud Moschovitas quoque hodie panis amicitiæ, atque benevolentiæ est signum. Nam ut Sigismundus ille Baro *in suis rerum Moschoviticarum Commentariis* scribit, Rex Moschovitarum, eo maximè suam erga aliquem benevolentiam, atque gratiam testatur, si illi in convivio de sua mensa panem, atque sal mittat, idque maximi honoris loco habetur. Quo honore se quoque cum primò Maximiliani Imperatoris, ac iterùm ejus nepotis Romani regis Ferdinandi fuisset Legatus à Basilio rege affectum fuisse scribit. Ac in priori quidem sua legatione, dicit, se juxta illorum consuetudinem hujusmodi dicendi forma ab illo Moschorum rege ad prandium fuisse invitatum: Sigismunde, comedes sal, & panem nostrum nobiscum. Ex his salis potissimum, atque panis meminit, quorum unum alimenti, alterum condimenti instar obtinet: utrumque verò amicitiæ, atque benevolentiæ signum est, atque tessera.

Ignominiæ.

Ignominiæ nota est, si quis panis frustulis impetitur, ut ac- G
cidisse Claudio Imperatori à populo Romano diximus *in loco de Dedecore, Tit. Petitis pomis, Pane, Lapidibus.*

Humilitatis, et Indigentiæ.

Quia Heli summus Sacerdos noverat malè agere filios suos, eosque non, ut oportuit, corripiebat, dixit Deus futurum, ut posteri illorum ita humilientur, ut venturi sint ad summum Sacerdotem, qui pro tempore futurus est, ut pro eis oret, & de manu illius accipiant pro ministerio diurno tortam panis *1. Reg. cap. 2.* dicantque, ait Scriptura, Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

Usus autem communis obtinuit, ut mendicantes, & egeni vicatim panem efflagitent. Hinc *Juvenalis* mentionem faciens C. Marii, qui in paludibus Mynturnarum latuit, & in Aphrica panem mendicavit exul, ita scribit:

Exilium, & carcer, Mynturnarumque paludes
Hinc causas habuere, &c. Sat. 10.

H

* Pancratiastæ.

Erant Athletæ, qui toto corpore, manibus, ac pedibus certabant. De quibus *vide locum de Athletis.*

Pannoniæ reges.

☞ *Vide Titul. Magistratus Chronologicè consideratus.*

Pannus.

Apud Septentrionales pro Deo colitur. ☞ *Vide in loco de superstitione.*

* Papa. Papistæ.

* Definitio, et Etymologia.

VOx Papa patrem sonat, estque vox amoris tenerrimi, qua parvuli, priusquam articulatas voces reddere valent, patres suos appellant Pa-pa. Tractum fortassis à dictione πάππας, quæ & patrem, & nutritium, vel πάππος, quod Avum significat. Sic ea utitur *Invenalis Sat.* 1.

—— Et timidus præguster pocula, pappas.

Est autem nomen venerationis, quo utuntur Syracusani. Immò & Scythæ Jovem hoc nomine compellant.

Primis Ecclesiæ temporibus usque ad annum 850. nomen Papæ commune erat omnibus Episcopis, immò & Sacerdotibus, qui πρεσβύτεροι dicebantur, quod essent velut aliorum patres spirituales, ut per quos regenerarentur, & cibum spiritualem acciperent. Successu verò temporis soli Romano Pontifici, sive Episcopo, illud nomen attributum, ut qui sit unicus, & universalis Ecclesiæ pater, & pastor; non enim singularem aliquam personam notat, aut hujus, vel illius temporis, sed totius Christiani orbis Patrem, ac pastorem dicit, & perpetuum Ecclesiæ magistrum, ac Episcopum. Quamvis Baronius in Martyrologio 11. Januarii observet non esse eundem titulum, Pater Patrum, & Papa, quamvis uterque Pontifici tribui soleat, ut universali Ecclesiæ Episcopo; & id probat exemplis antiquarum inscriptionum, ubi uterque titulus Pontifici datur. Et notat nomen Papæ attributum olim Clericis venerabilioribus tanquam nomen dignitatis: posteà Episcoporum peculiare esse cœpit, ut constat apud Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, & novissimè apud Venantium Cordubensem, qui floruit anno 850. Itaque errat Nicephorus dum *lib.* 14. *c.* 34. dicit Cælestinum Pont. Cyrillo Episcopo Alexandrino indulsisse nomen Papæ, quia jam commune erat Episcopis. Porrò tandem Rom. Pontifici hic titulus datus fuit, & ut solus eum deferret, definitum in Synodo Romana à Greg. VII. anno 1073. propter quosdam Schismaticos, qui illud nomen usurpabant. Perperam igitur Hæretici, qui à suis auctoribus indigitantur, utputa Arriani ab Arrio, Lutherani à Luthero, alii ab alio impostore, (nam ut rectè Aug. singulæ hæreses propriis vocabulis ab omnibus nominantur, *de utilit. credendi c.* 7.) Catholicos proprio alicujus nomine compellere aggrediuntur, dum eos à Papa Papistas vocant per convicium; cùm, uti diximus, nomen Papa non unius personæ nomen sit, sed commune: immò nomen officii, ita ut vel hoc nomine nos Catholicos dicant, id est, omnium & locorum, & temporum. Papistæ igitur sunt nihil aliud, quàm subditi unius Patris, qui Cathedram Romanam tenet, legitima à S. Petro successione: Item oves illius, qui Petri personam sustinet in pascendo Dominico ovili, cui totus orbis Christianus, ut capiti, Vicario subiicitur; aut denique in cujus Ecclesiæ communione omnes gentes Christianorum hodiè, & semper vixerunt.

☞ *Videatur Infra locus de Romano Pontifice. Ubi & de Pontifice utriusque testamenti fusè agitur.*

* Papyrus.

Quid sit.

DIximus supra *in loco de Charta*, Papyrum esse arborem, quæ instar juncorum, aut salicum apud nos nascitur in Ægypto in locis palustribus, aut marginalibus fluminum: estque earundem copia prope Nilum. Nascitur & in Syria, ac in Euphrate circa Babylonem, ut auctor est *Plin. lib.* 13. *c.* 11.

Usus.

Ex foliis hujus arboris, quæ latiora habet acu diductis, ac divisis, parabantur chartæ ad scribendum, quæ eò erant meliores, quò mediæ papyro propinquiores. Atque ex hinc Chartas nostras, quæ è linteis mola contritis fiunt, papyrum vocamus, propter usum, quem eundem habent cum Ægyptia papyro.

Ex ligno verò papyri, nam crescit in molem decem cubitorum, habetque truncum triangularem, conficiuntur naves, juxta illud *Lucani* 4.

—— Cùm tenet omnia Nilus
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Et Ovid. *lib.* 15. *Metamorphos.*

Perque papyriferi septemfua flumina Nili.

Et scribit Herodotus *lib.* 2. Ægyptios suas naves, ex junco fabricare, & Plinius testis est non modò ex papyro navigia contexere Ægyptios, & Regem Antigonum eam adhibuisse. Sed insuper è libro ejusdem arboris, sive cortice interiore, vela, stragula, ac vestes, funesque conficere: succumque decoctum mandere, ac flore Deos coronari.

☞ *Huc referri pauca poterunt ex Loco de Charta.*

Quibus verò variarum materiarum generibus usi olim in scribendo veteres, latè à nobis traditur *in loco de Scriptione*: neque enim obvium semper fuisse papyri usum constat, & nihilominus vsitatam, natamque penè cum ipso mundo scriptionem res certa est. ☞ *Videatur etiam locus de Litteris.*

Parabola.

PArabola, sive parabole, dictio Græca est παραβολὴ παραβάλλω, quod est assimilo. Duas res diversas simul colloco, aut confero. Est autem parabola sententia, habens obscuram similitudinem, *sec. B. Thom.* 2. *part. q.* 1. *a.* 10.

Parabola est sermo similitudinarius, qui aliud dicit, & aliud significat, *secund. B. Thom. super Isaiam.*

Parabola, Hebr. *Maschal*, simile, similitudo, comparatio, allegoria, ænigma, collatio. Interdum significat sententiam celebrem, χρεῖαν, γνώμην Vitæ regulam, ut Proverbia Salomonis, *Mis Kel.*

Parabola est rerum diversarum sub aliquo proportionaliter simili facta collatio: in qua pluribus conferuntur, quæ ad invicem habent proportionis aliquam similitudinem. *Albertus Magnus in Topic.*

Parabola Græcè παραβόλη, passim in Evangelio, non tam comparationem, aut collationem, quàm allegoricam declarat orationem, quæ non facilè ab omnibus intelligatur, *Mat.* 15. 15. *Marc.* 12. Joann. παροιμίαν vocare solet, *ut Joa.* 10. 6. Capitur item parabolæ vox pro similitudine. *Mat.* 13. 2. *Hebr.* 11. 10. pro typo, seu exemplari, *Hebr.* 9. 9. pro eo, quo Latinis proverbium dicitur, *Luc.* 4. 22. Parabolæ Salomonis, 1. *Regum* 4. 32. Parabolæ, id est, comparationes, & allegoricè orationes continuis metaphoris expressæ.

Omnis autem similitudo non est parabola, cùm similitudo comparet res tam sensu præditas, quàm eo destitutas: parabola autem plerumque inducit personas ratione præditas, quamvis pro iisdem usurpentur. Unde exactam Parabolæ definitionem prout illius usus est in Evangelio tradunt: quòd sit rerum, sive verarum, sive verisimilium, apposita, & artificiosa narratio.

Quotuplex.

Parabola alia est humano ingenio excogitata, alia est Propheticis, & Evangelicis litteris tradita: prior sensibilibus similitudinibus constat ad humana negotia explicanda, aut persuadenda; alia verò ut res sensibiles ad mysteriorum divinorum explicationem assumantur, ut tradit *Salmeron in Parab. Evangelicas Tr.* 1. *in* 8. Unde id differt parabola ab historia, quòd hæc sit ratio rei gestæ: Parabola verò, ut ait *Justinus l. Respons. ad Orthodoxos*, sit oratio rei fictæ, ad eam, quæ futura est, similitudinem complectens. Et nè quis dicat res ejusmodi fictas esse mendacia, respondet *S. Aug. lib.* 2. *q. Evang.* 41. *initio Tom.* 4. Tunc id, quod fingimus, esse mendacium, quando non refertur ad aliquam significationem: alioquin non est mendacium, inquit, sed figura veritatis. Si enim juxta illud Horatii in arte Poetica.

Ficta voluptatis causa sunt proxima veris:

quantò magis id obtinebit in illis, quæ docendi gratia finguntur. Unde etiam Parabola non est idem, quòd Apologus sive fabula, cùm illa fit narratio rerum neque verarum, neque verisimilium, ad significandum instituta. Differt quoque ab Exemplo, quod παράδειγμα Græci vocant, quia exemplum pars sit historiæ, dum rem aliquam, ut rectè factam alterius rei gestæ similitudine defendimus: vel rem malè factam alterius criminis exemplo manifestamus.

Usus Earum.

Parabolarum usus apud viros sapientissimos frequentissimus fuit: unde Xenophon, & Plato parabolis abundant, Pythagoræ symbola circumferuntur, qualia sunt: Ambulandum per diverticula. Ignem gladio ne fodias: Hirundinem domi non permittas: A faba abstine, & pleraque alia, quibus ille singularia ad virtutem monita, atque incitamenta tradebat.

Exstant & hieroglyphica sacerdotum Ægyptiorum, & quæ originem acceperunt à Mercurio Trismegisto, in quibus non tantùm disciplina bonorum morum, & divini cultus, sed etiam quæ ad alias disciplinas, & communem hominum victum faciunt, Symbolis explicantur.

De quibus breviter, & succinctè scripsit antiquus auctor Horus, sed latè, & fusè nostro sæculo Pierius Valerianus.

Apud

Apud Ecclesiasticos Scriptores.

IN LEGE VETERI.

In Scripturis sanctis reperimus insignis sapientiæ viros parabolis frequenter usos fuisse: ut constat de Job, Nathan Propheta, Isaia, Jeremia, Ezechiele, & cæteris Prophetis, sed inter alios Salomon in illis inveniendis, & dissolvendis præstantissimus artifex extitit. Dicitur enim in tertio Regum volumine: Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina ejus quinque millia.

Josephus etiam contra Apionem Grammaticum tradit, Hiram regem Tyriorum, Davidis, & Salomonis amicum, problemata multa, & parabolas inter se invicem dissolvendas proposuisse: sed in earum dissolutione præcelluisse Salomonem. Mos enim olim erat, ut ejusmodi ænigmata, & parabolæ in commune proponerentur, sub certo præmio reddendo ei, qui melius nodum dissolvisset. Quod constat factum fuisse in nuptiis Sampsonis, ubi proposuit problema: De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.

Moris igitur omnium sapientum erat, problematis, & parabolis uti. Siquidem ab artibus, & disciplinis, quas quisque consuetudine, & exercitatione benè notas, & comprehensas habet, comparationes, & similitudines producere solet, quibus amicis suis cogitationes, & sensa commodius, & apertius exprimere valeat.

Hinc *Hieronymus in cap.* 1. *Amos* eleganter ait: Naturales est, ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, & unusquisque in quo studio finivit ætatem, illius similitudinem proferat: verbi gratia, qui natura est gubernator, tristitiam suam comparat tempestati; damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum prosperitatem, & lætitiam, auram placidissimam, & secundos nominat ventos tranquilla æquora, campi, ac similia.

IN LEGE EVANGELICA.

Divina sapientia, quæ olim per prophetas in parabolis luserat, carnis vestimento induta, mysteria regni sui etiam sub parabolarum involucris tradere voluit. Qua in re nihil novi attulit, quia jam olim per prophetam prædictum fuerat, Dominum Jesum parabolis usurum.

Unde Tertull. *lib. adversùs Marcionem*, nec forma, inquit, sermonis in Christo nova, cùm similitudines obiicit, cum quæstiones refutat: de septuagesimo septimo venit psalmo: Aperiam, inquit, in parabolis os meum, id est, similitudinem: eloquar problemata, id est, edisserам quæstiones.

PARABOLARUM FRUCTUS VARII.

Parabolarum varii sunt fructus. Primum locum habet, quòd sit aptissimus, & accommodatus modus docendi simplicem populum, qui Scripturarum sacrarum testimonio, & ratiocinationum pondera, & syllogismos non ita capere solet, quemadmodum similitudines, & parabolas, quæ ex manifestis, & sensibilibus ratiocinantur, & rem veluti præsentem oculis subiiciunt, ut potius spectari quàm audiri videantur: Estque modus nobis proprius, ac congenitus: nam necesse est intelligentem phantasmata speculari, id est, rerum species, & similitudines: & familiare nobis est, à sensibilibus ad intelligibilia cum delectatione assurgere, à carnalibus ad spiritualia, à terrenis ad cœlestia, & ab humanis ad divina.

Hinc *Hieronymus in Matthæum* scribit: Familiare est Syris, & maximè Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exemplaque teneatur.

Alter fructus est, quòd doctrina parabolis tradita, miris modis affectus nostros concutit, voluntatemque nostram ad quodcumque velit, permovet, propter collationem sensibilium ad spiritualia, & magis delectat, quàm metaphoræ, & figuratæ locutiones in oratione.

Cui rei exemplo esse potest apologus ille Demosthenis ad Athenienses propositus. Cùm enim Philippus rex Macedonum illorum imperio insidias tendens, nihil ab Athenienses extorquere posset, scripsit Philippus, ut si in cæteris voluntati suæ morem gerere recusassent, saltem in hoc ei satisfacerent, ut Demosthenem, & quosdam alios primarios civitatis viros, qui ei maximè reclamabant, ad se transmitteret: hanc ejus technam Demosthenes in oratione ad populum habita ejusmodi apologo dedixit. Finxit enim bellum irreconciliabile, & diuturnum inter oves, & lupos olim extitisse, lupos que de reconcilianda pace legationem honestissimam ad pastores misisse, nempe ea se lege firmam pacem cum illis servaturos, si canes omnes custodiæ gregis deputatos, ab ipsis abjectos, ad se transmitterent. Hac ille arte elusit dolum, & fregit Omnes Philippi conatus.

Christus etiam Dominus, quoties volebat, ut Judæi nescientes in seipsos sententiam dicerent, per parabolas extorquebat. Nam in parabola de vinea, ignorantes quod Dominus tenderet, ad verbum Domini: Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? responderunt, Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Et tunc Dominus subjunxit: Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

Certius fructus est, quia parabolæ fortissimè corroborant, & confirmant memoriam. Nam ut species intelligibiles sensibilibus speciebus affixæ, tenacius hærent memoriæ, & fidelius illis commissa retinent, ut constat ex his adjumentis, quæ memoriæ localis serviunt, & ex illis symbolis externis, quæ in recordatione alicujus rei adhibere soliti sumus: ita parabolæ, & similitudines hunc usum nobis præstant, ut propter illas memoriam rerum spiritualium fidelius custodiamus.

Quartus fructus est, ad velanda, & tegenda divina mysteria, atque ita canibus, & porcis occultanda. Hæc autem ratio explicata est à Domino apud Matthæum, Marcum, & Lucam, ubi dicitur, vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

CUR CHRISTUS IIS USUS.

Dicendum est, expedientissimum fuisse, immò necessarium, Dominum in parabolis loqui, quia sic tantum poterant audire eum turbæ, dicitur enim apud Marcum: Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire. Sine parabola autem non loquebatur eis. Seorsim autem discipulis suis disserebat omnia. Dominus enim ab initio manifestè cœpit prædicare eis de regno Dei, ut testatur sermo Domini in monte, doctrinamque suam miraculis cœpit confirmare, neque turba simplex libenter Dominum audiens merebatur excæcationem. Sed quia inter auditores quidam ex Judæis omnia calumniabantur, & ut ansam haberent accusandi eum, observabant ejus sermones, & opera; hinc factum est, ut Dominus videns eos insanabiles, indignosque factos, qui aperte doctrinam Christi intelligerent, cœperit parabolis veritatem Evangelicam velare.

Ne ergo sanctum daret canibus, aut Margaritas proiiceret ante porcos, & quia dictum esse volebat, quod dicendum erat, & non volens offendere, quos sanare cupiebat; mysteria regni Dei parabolis prudentissimè texit, ut, & quæ dixit, non essent illis dicta, sed abscondita, & celata; & tamen bonis essent aptè, & suaviter dicta, quia omnia aperiebat illis seorsum. Nam mysteria regni Dei simpliciter menti humanæ recondita sunt, & incomprehensa, quanto magis si tegantur parabolis? Ideò opus fuit, ut Christus parabolas aperiret Apostolis, & per illos aliis, qui cum fide, & humilitate ad ample ctendum Messiam veniebant. Cùm enim parabolæ obscuræ sint, difficultatesque non paucas contineant coguntur auditores, ut sensum earum percipiant, & humiliter, & submisse de se sentire, & alios petitiores consulere, vel ad Deum per preces, & supplicationes pro earum intelligentia occurrere, & cum Apostolis dicere: Domine, edissere nobis hanc parabolam. Et ita fructus humilitatis ex obscuritate parabolarum proficiscitur, atque adeò ex humilitate intelligentia ipsa. Nam ita dixit Dominus: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis: & *alibi*. Ubi est humilitas, ibi & sapientia.

Deinde oritur etiam fructus studii, operæ & diligentiæ in illis ponendæ. Nam *teste Augustino in Psal.* 140. Obscura, & difficilia in Scripturis magna ingenia exercent, & somnum, oscitantiamque discutiunt, ut ad fructum intelligentiæ perveniant. Hinc beatus dicitur, cujus voluntas est in lege Domini, & in ea meditatur die, ac nocte.

PARABOLARUM S. SCRIPTURÆ SYNOPSIS.

Parabolarum catalogus: Parabola Aquarum egredientium è domo, *Ezech.* 47. 1.
Aquilæ grandis, 17. 3.
Arborum ungentium regem super se, *Judic.* 8. 9.
Duorum canistrorum ficuum, *Jerem.* 24. 1.
Cardui, & cedri, 2. *Reg.* 14. 9. 2. *Paral.* 25. 18.
Cinguli lini, *Jerem.* 13. 1.

Cœnæ

Cœnæ magnæ, *Matt.*22. *Luc.*14. 16. *Apoc.*19. 9.
A Divitis, & pauperis habentis unam oviculam, 2. *Sam.* 12. 1.
Divitis, cujus agri exuberarant, *Lucæ* 12. 16.
Duorum debitorum, 7. 41.
Dispensatoris iniqui delati ad dominum, 16. 1.
Drachmæ, 15. 8.
Fermenti, *Matt.*13. 33. *Lucæ* 13. 6. & 21. 29.
Figuli, *Jerem.*18. 2.
Ficus, *Matt.*24. 43. *Marc.*13. 28. *Lucæ* 13. v. 6. & 21. 29.
Filii prodigi, 15. 11.
Duorum ejusdem matris filiorum, 2. *Sam.*14. 5.
Filiorum duorum alterius morigeri, immorigeri alterius, *Matth.*21. 28.
Grani sinapis, *Matt.*13. 31. *Marc.*4. 31. *Lucæ* 13. 19.
Invitatorum ad nuptias, 1. 46.
Judicis iniqui, 18. 2.
Lagenæ testaceæ, *Jerem.*19. 11.
Margaritæ, *Matth.*13. 45.
Minarum servis distributarum, *Lucæ* 19. 12.
Mulieris parturientis, *Joan.*16. 21.
B Duarum mulierum ejusdem matris fornicantiũ, *Ezec.*25. 1.
Negotiatoris, *Matth.*13. 35.
Novaculæ acutæ, *Ezech.* 5. 1.
Oenophori, aut lagenæ testaceæ, *Jerem.*19. 11.
Ollæ, *Ezech.*24. 3.
Operariorum in vinea, *Matt.*20. 1.
Ovis perditæ, 18. 11. *Lucæ* 15. 4.
Oviculæ pauperis, 2. *Sam.*12. 1.
Ovium non habentium pastorem, 1. *Reg.*22. 12. 2. *Par.* 18. 15. 16.
Ostii, & ovilis, *Joan.*10. 1.
Patrisfamilias plantantis vineam, *Esa.*5. *v.* 1. *Jerem.*2. 21. *Matt.*21. 33. *Marc.*12. *v.* 1. *Luc.*20. 9.
Pharisæi, & Publicani, 18. 10.
Puerorum in foro sedentium, *Matt.*11. 16. *Luc.*7. 32.
Rechabitarum, *Jerem.*35. 1.
Regis conferentis rationem cum servis suis, *Matt.*18. 23.
Regis facientis nuptias filio suo, 22. 2. *Luc.*14. 16.
Regis ituri in bellum contra alterum regem, 14. 3.
Sagenæ jactæ in mare, *Matth.*13. 47.
Seminantis, 13. 3. *Marc.*4. *vers.*13. *Luc.*8. *vers.*5.
C Sinapis, *Matt.*13. *vers.*31.
Talentorum, 25. 14. *Luc.*20. 12.
Turrim ædificare volentis, *Luc.*14. 28.
Thesauri occultati, *Matth.*13. 44.
Vineæ plantatæ, *Es.*5. 1. *Jer.*2. 21. *Mat.*21. 33. *Marc.*12. 1. *Luc.*20. 9.
Decem Virginum, *Matth.*25. 2.
Vitis, & palmitum, *Joan.*13. 1.
Zizaniorum, *Matth.*13. 26.

PARABOLARUM OBSCURITAS. UNDE.

Tota parabolarum difficultas ex tribus pendere videtur, nempe ex radice, & cortice, & medulla earum, sive fructu. Radicem in illis metaphoricè vocamus scopum, in quem tendit parabola: Corticem, similitudinem sensibilem, quæ adhibetur: Fructum, sive medullam intelligimus, sensum spiritualem per corpoream similitudinem significatum, & intentum.

Hæc autem tria, quia vel non bene apprehenduntur, & cogitantur, vel quia vario modo à diversis concipiuntur, & considerantur, in causa sunt, ut tanta Patrum in exponendis parabolis diversitas orta sit, quæ attestatur earum difficultatem: quemadmodum dubia magna circa earum intelligentiam emergentia, & Apostoli rogantes Dominum ut eas sibi ediscerent, earundem obscuritatem ostendunt.
D

Ex radice igitur, sive scopo, solet surgere parabolæ difficultas, quia sæpè difficilè apprehenditur, quò tendat Dominus, quæ sit ejus mens, & qui animus, & in quem maximè finem parabolam inducit, interdum illum non aperit Evangelium.

Hinc *Hieronymus epist. ad Damasum*, ubi parabolam edisserit Villici iniquitas, ait: Itaque sicut in cæteris parabolis, quæ non sunt à Salvatore disertæ, quam ob causam dictæ sint, solemus inquirere, ita & in hac, &c.

Deindè ex cortice, sive similitudine sensibili inducta, obscura redditur nobis parabola; nam illæ res, quæ alio tempore, & in alia regione vulgares erant, & usitatæ, nobis, qui in remotissima ab illa regione habitamus, nec historici, aut alii auctores mores illos, & consuetudines nobis tradunt: quemadmodum lusus ille puerorum clamantium in foro, qui tibiis cantabant, & lamentabantur. Talia sunt multa nobis parum comperta, ut denarius diurnus datus pro mercede diurna laborantibus in vinea: Unctio capitis: Vestis nuptialis: Utres veteres: Virginum exitus cum lampadibus, ad occurrendum Sponso, & Sponsæ: Servi præcincti cum lucernis ardentibus, & similia multa. Neque mirandum est, si Judæorum in Syria habitantium consuetudines parum sint nobis compertæ, qui & loco, & tempore longè sunt à nobis dissiti, atque disjuncti, cum plerumque Gallus atque Germanus, Italiæ sibi contiguæ, & vicinæ mores exploratos non habeat, vel rursus Italus mores Gallorum, aut Germanorum sui sæculi non intelligat.
E

Tertiò oritur difficultas ex medulla, sive fructu: quia comparationem sensibilium ad spiritualia exactæ, & præcisæ esse non possunt: unde vel excedunt, vel exceduntur. Et quia omnia, & singula videntur non posse applicari: ut quòd Dominus laudaverit Villicum iniquitatis, qui clam, & furtim bona Domini subtrahendo, vitæ suæ prospexerat: Quod murmuraverint accipientes denarium, eo quòd alii, qui hora undecima venerant ad laborandum in vinea, in mercede sibi coæquarentur: Et frater senior murmuraverit, quòd fratrem suum juniorem, de regione longinqua redeuntem, magnis lætitiæ signis, & convivio pater exceperit.
F

QUOMODO ELICIENDA EXPLICATIO.

Tota Parabolarum difficultas, ut diximus præcedenti, ex tribus pendet capitibus. Unde ut earum veritas, & intentio eruatur, primùm statuendum est, nihil falsum, aut impossibile, vel absurdum parabolis contineri. Secundo, non illum censeri parabolarum sensum, qui vocibus exprimitur juxta Grammaticam notionem, sed quem res externæ nobis cognitæ, & vocibus illis significatæ repræsentant, qui quidem sensus aliquid spirituale, & ad regnum Messiæ sive verbum ipsius spectans continet. Unde in cortice, ut loquuntur, parabolæ non est hærendum, sed progrediendum ad nucleum; sive non est inhærendum sensui litterali, sed is considerandus, quatenus ad spiritualem similitudine sensibili repræsentatum deducit.

Multùm tamen confert ad verum sensum eliciendum, si attentè, & diligenter scopum ab eo, qui Parabolam producit, intentum perspexerimus; quomodo Græci fabularum, sive apologorum sensum ex profabulatione, ut vocant, venandum docent. Sic & à proparabola, sive prologo, qui parabolæ præmittitur velut gustus quidam, sensum parabolæ exquirendum suadent DD. ut cum verbi gratia, dicitur à *Luca capite* 14. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent: dicens ad eos: Cùm invitatus fueris ad nuptias, &c. Indicatur enim illis verbis, quo tendat parabola. Neque oportet nimis anxium esse in singulis parabolarum verbis, neque iterum convenit in singulis ejus partibus accommodationem ad rem ipsam spiritualem, & intentam investigare: quamvis tamen omnia illa necessaria sint, ut parabola constet. Sic ait S. Augustinus. *lib.6. de Civit. Dei c.2. tom.5.* solo vomere terra proscinditur, sed ut hoc fieri possit, etiam reliqua aratri membra sunt necessaria.
G

Porrò necessarium quoque est, res ipsas, de quibus parabola instituitur, cognoscere, & comprehendere, in quo similitudo ponatur, ut ita assurgatur ad comprehensionem intelligibilium. Sic etiam in applicanda rei alicujus similitudine, non est necesse omnia illius membra adaptare, sed id tantùm, propter quod assumitur. Unde de una, & eadem re variæ parabolæ producuntur. Quinimmò parabolis ipsis varia mysteria obteguntur, quæ etiam eruenda erunt inquirentibus verum parabolarum intellectum. Plura petantur ex Salmerone *Tract.3. de Parabolis Evangelicis.*
H

---

* Paradisus.

Definitio, et Etymologia.

Paradisus Græca est dictio, juxta aliquos, significans pomarium. Unde accipitur pro horto amœnissimo arboribus consito, & ad omnem voluptatem comparato. Hebræis *Pardes* etiam dicitur. *Nehemiæ* 1. *Cant.*4. *Eccl.*2. & componi videtur à voce *Parah*, fructificavit, & *Hades* Myrtus, quasi sit locus myrtis consitus.

Alii vero Græcam vocem deducunt à παρὰ καὶ δῶσις, id est, irrigo, ut vult Suidas: vel παρὰ τὸ δῦσιν συνέχειν, id est, à collectione Herbarum. Sed melius sentiunt, qui Paradisum statuunt vocem Persicam, aut Hebræam, à voce Pardes, quod locum voluptatis significat, prout paulò ante diximus.

Est

Est enim Paradisus locus non mediocris alicujus, sed exi-
A miæ, & raræ amœnitatis ad oblectandum hominem. Hinc etiam Moyses vocat terram Sodomorum, antequam eam subverteret Dominus, sicut Paradisum Domini. *Genes.c.*13. quod scilicet irrigaretur Jordane, omni genere fruticum, frugumque aeris etiam suavitate abundaret. Atque in Ecclesiastico *cap.*2. ubi legimus, feci mihi hortos, & Pomaria; dictionem (Pomaria) vertunt LXX. interpretes, Paradisos.

Ubi autem Moyses primam facit mentionem Pradisi *Gen. cap.*3. reperitur vox Hebræa גן Gan, à radice גנן Ganan, quod est protegere, & abscondere, quasi hortus ibi significetur opacus, vel etiam conclusus, ad quem nulli aditus detur: quam vocem reperimus apud Ecclesiasticum pro horto usurpatam à LXX. Interpretibus.

ACCEPTIO VARIA.

Nomen Paradisus apud Scriptores Ecclesiasticos variè accipitur. Communiter quidem pro omni loco amœno ad oblectandum hominem dedicato. *Eccl.c.*2. *Ezech.c.*28. &
B 31. *Eccl.*24. *Genes.*13. Propriè vero pro loco voluptatis particulari, quem Deus ante hominem creatum in principio mundi condidit, in quo collocavit primum hominem, ut operaretur (non laboriosa, sed delitiosa operatione) & custodiret illum: & ex quo propter inobedientiam fuit ejectus. Accipitur etiam non pro loco corporeo, sed pro voluptate spirituali, adeòque pro vita æterna omnium deliciarum plenissima: qua notione Christus in Cruce ad Latronem pœnitentem usus est. *Luc. cap.*32. Hodie mecum eris in Paradiso: & Paulus *Epist. ad Corinth.c.*12. cum dicit se raptum in Paradisum, & *Apocal.c.*2. Cæterùm usitatior est acceptio secundo loco posita.

Apud Ethnicos scriptores Xenophontem, & Philostratum, Paradisi appellantur loca amœnissima, quæ oblectationis causa erant comparata Regibus Persarum, in quibus feræ servabantur ad venationes. *Aulus Gellius lib.*2. *cap.*20. etiam vivaria hoc nomine vocat, & tempore Scipionis, ac aliorum purè loquentium Latinè, Roboraria dicebantur, quòd undique essent septa, & munita.

QUANDO, ET UBI CONDITUS.

C De Paradiso propriè sumpto loquimur in præsenti, atque de illo Moyses testatur, quod Plantaverat Dominus Deus à principio, id est, rerum exordio: nam tertio die conditum communis est sententia; Paradisum voluptatis. Hebraicè, est Be בעדן Hedan, id est, in Heden, quæ vox significat primò voluptatem, sive delicias, secundò locum particularem in oriente amœnissimum. Unde & colligitur Paradisum fuisse in Oriente. Est ergo Heden tam nomen proprium, quàm appellativum: & ab eo ut sic, deducunt nonnulli Græcum ἡδονὴ, id est, voluptas.
G

Ideoque Chrysost. Theodor. & Damasc. *lib.4. de fide c.*13. docent Christianos solitos orare ad Orientem, ut recordarentur Paradisi, e quo per peccatum fuerunt expulsi, atque ita ostendant se anhelare ad Paradisum cœlestem, cujus terrestris ille typus fuit, & imago.

CIRCA PARADISUM OPINIONES VARIÆ.

Origenes putat, Paradisum esse tertium cœlum, in quod raptus fuit S. Paulus; arbores esse virtutes angelicas; flumina esse aquas, quæ sunt supra firmamentum. Idem docet Philo, & Seleuciani hæretici, quin & S. Ambrosius *lib. de Paradiso*. Verùm S. Epiphan. Augustinus, Hieronymus, & alii hanc expo-
D sitionem hæreseos damnant; torquet enim planam historiam Geneseos ad figmenta allegoriarum. Unde S. Ambrosius excusandus est, quòd litteram, litteraleque sensum præsupponat, tantumque allegoriam Paradisi vestiget.

Secundò, alii *apud Hugon. Victor.* putant, paradisum fuisse totum mundum, flumen esse Oceanum, ex quo quatuor illa celeberrima flumina oriuntur. Sed & hic est error, nam quatuor hæc flumina egrediuntur extra Paradisum. Rursum Adam post peccatum non est ejectus extra mundum, ergo mundus non est Paradisus.

Tertiò, alii *apud Magistr. sent. in* 2. *dist.* 17. censent, Paradisum esse locum omnino secretum, & elevatum usque ad globum lunæ. Ita *Rabanus, Rupert. Strabus*, vel certè, ut *Abulens. & Alef.* Paradisum supra mediam aeris regionem elevari, ac proinde aquas diluvii eò non pertigisse. Sed sic non in terra, sed in aere, aut cœlo esset Paradisus. Rursus esmetæ ab omnibus spectantur.
H

Quartò *S. Ephr. apud Mosen Barcepb. lib. de Paradiso*, putat totam terram nostram cingi Oceano, & ultra illum in alia terra, & alio orbe esse paradisum. Sed & hic error est: quatuor enim flumina Paradisi in nostra sunt terra, & orbe.

Quintò, *Cirvelus Daroc. sis in paradoxis, qu.*15. *Alphon-* E
sus à vera cruce lib. de cœlo, specul. 15. opinantur, Paradisum fuisse in Palæstina circa Jordanem, in terra Sodomorum; probant *ex Gen.*13. *v.*10. Alii volunt eum fuisse in insula Taprobana, alii in America. Verùm hæc quatuor flumina non in, Palæstina, nec in Taprobana, nec in America sunt.

Sextò, S. Bonaventura, & Durandus *in* 2. *dist.*17. putant Paradisum esse sub æquinoctiali. Putant enim ibi esse summam aeris temperiem, ubi semper dies sunt æquales noctibus. Sed hoc uti vagum est, & incertum, ita nodum non solvit.

Difficultas hujus quæstionis pendet ex duobus fluminibus, scilicet Phison, & Geon: qui enim hos nosset, facilè ex iis vestigaret Paradisum.

SENTENTIA VERIOR.

Quædam de Paradiso sunt certa: alia minus certa, admodum tamen probabilia. Et quidem certum est de fide, Paradisum fuisse locum corporeum, situm in parte aliqua terræ nostræ versus Orientem, ut habent Septuaginta.

Rursum, certum est, locum hunc fuisse amœnissimum, & temperatissimum, idque partim ex se, suoque situ naturali, partim ex speciali Dei providentia, quæ æstum, frigus, om- F
nemque aliam intemperiem à Paradiso removisset: locum, inquam, tum hominum, tum etiam aliorum animalium.

Negat hoc *Damasc. & S. Thomas, & Abulens. in* 5. 13. *q.* 87. Putant enim ipsi, in Paradiso nulla animalia quadrupedia, sed solos homines futuros fuisse. Abulensis tamen ad Paradisum quoque admittit aves, ad melodiam, & pisces in fluminibus. Verùm contrarium docent alii passim cum *S. Basil. lib. de Paradiso, & S. August. lib.*14. *de Civ. Dei. c.*11. Animalium enim varietas, & pulchritudo, magnam homini in Paradiso voluptatem afferebat. Rursum, constat serpentem fuisse in Paradiso.

De loco autem Paradisi ubi fuerit, probabile admodum censent celebriores Doctores, fuisse circa Mesopotamiam, & Armeniam. Primò, quia hæ regiones in Scriptura vocantur Orientales.

Secundò, quia homines ejecti è Paradiso, primum has regiones incolere cœperunt, tum ante diluvium, ut patet de Cain qui habitavit in Eden, *Gen.*4. *v.*16. tum post diluvium, quasi sitas propè paradisum, ideoque cæteris fertiliores, ut patet. *Genes.*8. *& cap.*11. *vers.*2.

Tertiò, quia Paradisus fuit in Eden, ut vertunt Septuag. G
Eden autem fuit circa Haran, ut patet *Ezech.* 27. *vers.*23. *Isaiæ* 37. *vers.*12. Haran autem est circa Mesopotamiam. Haran enim, sive Charrhæ, urbs est Parthorum, ubi cæsus est Crassus.

Quartò, quia ibi est Paradisus, ubi sunt Euphrates, & Tigris, ut patet *Gen.c.*2. *v.*14. Atqui hi sunt in Mesopotamia, & Armenia. Euphrates enim est fluvius Babyloniæ, inter quem, & Tigrim intercepta regio Mesopotamia (quasi dicas in medio duorum fluviorum sita) vocatur.

Quintò, quia hæ regiones sunt amœnissimæ, & fertilissimæ. Sextò, quia Paradisus non adeò longè distitus videtur à Judæa; siquidem ac Mesopotamia à Judæa non longè distita est; nam tradunt Patres, Adamum Paradiso ejectum, peragratis aliquot locis, venisse in Judæam, ibique mortuum, ac sepultum in monte, qui à posteris, quòd ibi caput primi hominis contineretur, Calvariæ mons fuerit appellatus, in quo Christus crucifixus Adæ peccatum luit, & expiavit, ita tradunt *Origenes, & Cyprianus, Athanasius, Basilius*, & alii passim, uno excepto, & repugnante S. Hieronymo, uti dixi.

QUÆNAM PARADISI DELICIÆ.

In genere quidem cùm Paradisus esset ad hominis voluptatem à Deo conditus, omninò credendum, in eo fuisse, quid- H
quid ad illius incitamentum, & augmentum quavis ratione opportunum existimabatur.

In specie tamen, imprimis præter aeris amœnitatem, fluviorum, & fontium scaturigines, florum, & herbarum incomparabilem varietatem, & nitorem. Erant, inquit Basilius supra, in Paradiso omnia avicularum genera, quæ colorum pulchritudine, & musica naturali, ac concentus dulcedine incredibiliter hominem oblectabant. Erant quoque varia animalium aliorum spectacula, omnia mansueta, homini obedientia, &c.

Quin idem ipse *Orat. de Paradiso*, dicit: Paradisus locus erat deliciis omnifariam affluens, omnem creaturæ sensibilis exuperãs pulchritudinem, ob sublimitatem loci, in quo erat, nulla sui parte tenebras admittẽs, sed exorientiũ syderum splendore semper illustratus, in quo nulla erat immodica ventorum vis,

nulla

Nulla tempestatum procella, nullius hyemis horror, non ni-
A mia veris humiditas, non torrens æstatis ardor, non molesta, &
noxia autumni siccitas, sed temperata, & pacifica omnium
temporum inter se consonantia: ita ut, quod in quaque anni
tempestate optimum, & jucundissimum est, in se haberet, sci-
licet veris amœnitatem, ubertatem æstatis, autumni hilarita-
tem, hyemis otium, & quietem: ejus terra pinguis erat, & mol-
lis, omniumque bonorum, & voluptatum fertilis, quam veris-
simè dixisses fluere lacte, & melle. Ita *Basilius*.

Erat hic etiam arbor vitæ, ita dicta, quod ex vi sua naturali
vitam hominis prorogasset ad longum tempus, calorem natu-
ralem acuendo, conservando, & dispendia humidi radicalis
reparando, & si quid humoris corrupti expellendo, ac melio-
rem, & salubriorem impertiendo, idque non quidem in æter-
num, sed ad longum tempus à Deo definiendum; quo exacto,
transferendus fuisset homo in vitam æternam: hoc interim
certum, Adamum de hoc ligno non gustasse.

Habuisset igitur homo in Paradiso, primò adversùs senium,
& morbos arborem vitæ: sic ut nec elementa, nec alius humor
in hominem agere potuissent. Contra violentiam Dæmonum
habuisset custodiam Angelicam: adversùs impetum fera-
B rum, ei fuisset perfectum earum dominium: contra hominum
vim, Paradisum ipsum, adeòque concordem innocentiam
habebat: plenam denique adversùs quævis incommoda pru-
dentiam, & providentiam.

CAPACITAS QUANTA.

Credibile est, Paradisum non fuisse majorem nostro orbe,
ut scribit Ephrem: neque conjectura incerta caret, quod ha-
bet Tostatus, paradisi longitudinem fuisse circiter XII. mil-
liarium, ambitum verò XXXVI. vel XL. Verisimile est enim
Paradisum non fuisse locum adeò patentem, & spatiosum,
ut quidam tradiderunt: quippe eum Scriptura appellat hor-
tum, & ait locatum fuisse in regione Hedem ad plagam ejus
orientalem, atque in medio ejus fuisse lignum vitæ, & lignum
scientiæ boni, & mali.

Nec sanè assentior illis, qui putarunt non habituros ex-
tra Paradisum homines, si Adam non peccasset: non enim
est probabile, unum illum locum capacem esse potuisse om-
C nium hominum. Si enim post peccatum Adæ vixerunt ali-
qui homines propè mille annos, sine dubio in statu inno-
centiæ non minus tria, vel quatuor millia annorum vi-
xissent, quo spatio temporis numerosissimam prolem edi-
dissent, & mirandum in modum genus humanum esset mul-
tiplicatum.

Ad hoc, narrat Moyses *cap.1. Gen.* dixisse Deum homini,
ut dominaretur cunctis animalibus, & subiiceret sibi omnem
terram: concessit quoque illi cibi causa omnes herbas, & om-
nes fructus arborum universæ terræ: nec est dubitandum, quin
illi homines peragrassent totam terram, vidissent maria, insu-
las, variasque orbis regiones, & in his admiranda Dei opera.
Nam cùm non omnia uno in loco nascantur, homines intra
Paradisum tantummodo habitassent, nec scientiam rerum na-
turalium, quæ perceptione sensuum, multisque experimentis
comparatur, consecuti fuissent; nec cognitione, & contem-
platione tantorum Dei operum, quæ in variis mundi locis
apparent, honestissimam voluptatem, quæ suavissimum est
humanæ mentis pabulum, capere potuissent.

Adiice, quòd non est credibile, universam terram fore
desertam, & hominibus vacuam, cùm hominis industria,
D & cultura multùm ei ad fertilitatem, amœnitatem atque de-
decorem conferat. Atque hoc testimonio divinæ Scriptu-
ræ probari potest; *Isaias* enim *c.45.* sic ait, Dominus fecit
terram, ipsi plastes ejus: non in vanum creavit eam, ut ha-
bitaretur, formavit eam.

CUR A DEO CONDITUS

Paradisum à Deo in hominis usum conditum Scriptura te-
statur, atque perexiguo usui fuisse homini, declaravit brevitas
temporis, quo est in eo Adam commoratus. *Theodoretus q.24.*
in Genesim, Beda, Hugo de S. Victore, Rabanus, & Strabus in
Comment. suis super libro Geneseos. S.Tho. 1. part. quæst. 103.
art.2. & 2.2. q.164. art.2. varias ejus rei rationes asserunt.

Prima ratio est, Deus non tractat hominem ex præscien-
tia futurorum, hoc est secundùm ea, quæ aliquando factu-
rus est homo, sed secundùm præsentem ejus statum. Quam-
vis igitur sciret Deus peccaturum hominem, tamen quia
status ille innocentiæ, in quo eum creaverat, poscebat lo-
cum habitationis ejus esse singularis, & eximiæ pulchritu-
dinis, atque amœnitatis, idcircò consentaneum fuit facere
Paradisum, locum nempe felicissimo illi hominis statui res-
pondentem.

Secunda ratio, licèt Paradisus non magno usui fuerit homi-
ni ad habitationem, fuit tamen ei maximæ utilitati ad intelli- E
gendum, quot, quantisque bonis careret, ac esset privatus
propter inobedientiam. Recordatio enim amissæ tam amœ-
næ, ac beatæ habitationis ingentem commovebat admissi
sceleris dolorem.

Tertia ratio, voluit Deus, ut esset in terris aliquod corpora-
tum, & aspectabile, quòd incomparabilem Paradisi cœlestis
pulchritudinem adumbraret, quo ex aliqua parte æstimari
possent æterna bona diligentibus Deum in cœlis præparata.

Quarta ratio, constituit Deus, ut homo in statu innocentiæ
vitam ageret in terris tranquillissimam, & jucundissimam,
nullis bonis carentem, omnibusque malis vacuam: ad eam
verò jucunditatem, & beatitatem vitæ, plurimùm confere-
bat domicilii salubritas, & amœnitas. Et verò, satis incon-
gruum fuisset, ut Adam, priùs quàm culpam admitteret,
subiret pœnam: quare dum status innocentiæ stetit, decuit
in eo loco eum versari, quem nullum incommodum, nulla-
que molestia contingeret.

Quinta ratio, non quia brevi tempore Adam in Paradiso
mansurus erat, propterea non debuit in eo collocari: nam & F
Lucifer princeps malorum Angelorum in cœlo Empyreo
conditus est, ex eo mox ejiciendus: quin etiam Adamo tri-
buit Deus justitiam originalem, & potestatem non peccandi,
ac moriendi, quam tamen brevissimo post tempore erat
amissurus: non enim Deus, quid futurum sit, sed quid postu-
let præsens rei status, spectat, & æstimat.

EJUS DURATIO.

Doctissimorum virorum maximè probabilis est sententia,
usque ad diluvium extitisse Paradisum in primæva sua amœni-
tate: nam cùm Deus expulit ex eo Adamum, & Evam, po-
suit ante eum Cherubin ad eum custodiendum.

Rursum Henoch raptus dicitur in Paradisum, non cœle-
stem, sed terrestrem, *Eccl.44. vers.16.* Verùm in diluvio Noe,
cùm aquæ per annum integrum totam terram occuparunt,
censent iidem Paradisum quoque iis obrutum violatum, &
dissipatum fuisse, idque satis indicat Moyses *cap.7. vers.19.*

Adde, quòd nusquam jam Paradisus inveniri possit, G
cùm tamen tota terra, præsertim circa Mesopotamiam, &
Armeniam, planè sit cognita, & habitata, ita censent
Oleaster, Eugubin. Catharin. Perer. & Jansen. Francisc.
Suar. 3. p.q.59 disp.55. sect.1. Viegas, & alii. Aquæ
enim diluvii per annum integrum tanta vi recurrentes, &
ut Moyses ait, cuntes, & redeuntes, omnes arbores, do-
mos, urbes quin, & colles straverunt, totamque ferè ter-
ræ superficiem dimoverunt: ergo & Paradisi formam, &
decorem subverterunt.

Ex hinc colligitur, quando dicitur Henoch translatus
in Paradisum, non de terrestri illo accipiendum, quem
Moyses describsit, sed de alio loco amœno, cùm Paradisus
sit nomen generale, quemvis amœnum, & jucundum lo-
cum significans. De hac re scribit *Rupertus lib.4. de Trinit.*
& ejus operibus c.33. Nusquam Scriptura dat intelligi, quòd
Henoch, & Eliam Deus tulerit in ipsum Paradisum, ubi co-
mederent de ligno vitæ, & viverent in æternum: sed ita su-
blati sunt, ut in secretam quandam regionem terræ duce-
rentur, ubi in magna carnis, & spiritus quiete viverent,
quousque ad finem mundi redeant, & carnis debitum sol-
vant. *Sic Rupertus.* Similia autem Ruperto Gregor. scribit
de Elia, quem isti volunt unà cum Henoch in Paradiso H
versari. *In Homilia enim in Evangelia 29.* sic ait Gregorius:
In cœlum aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quan-
dam terræ regionem repentè duceretur, ubi in magnam jam
carnis, & spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi
redeat, & mortis debitum solvat: ille enim mortem distulit,
non evasit. *Ita Gregorius.*

INVESTIGATIO INUTILIS.

Fabulosum, & apocryphum censeri debet, quod traditur
à quibusdam, de Macario quodam Romano, & aliis
tribus monachis: qui cùm omni studio sese ad investigan-
dum Paradisi locum dedidissent, peragratis longinquis re-
gionibus, tandem ad ipsius aditum perveniſse, ejus tamen
introitu prohibitos esse.

B. Chrysostomus scribit, ante diluvium quidem fuisse ho-
minibus notam viam, quæ ad Paradisum duceret, non esse
tamen eos illuc accedere ausos, horribili illa Cherubin custo-
dia perterritos: post diluvium autem omnia illius loci indicia
fuisse aquis obruta, & deleta, & rationem illuc pertendendi,
ac perveniendi prorsus incognitam.

Cur autem hactenus non potuerit investigari, aut inveniri
Paradisus,

Paradisus, satis probabilis causa videri potest, quòd infideles
A quidem, qui sacræ Scripturæ non credunt, fabulosa putantes,
quæ de Paradiso traduntur, eum locum investigare non cura-
runt: at verò fideles divinis literis fidem habentes, cùm nos-
sent ad locum Paradisi adiri non posse, ejusque aditum homi-
ni à Deo esse interclusum: omnem eum locum investigandi
operam, ac laborem, non modò inanem, sed etiam stultum
atque impium esse judicarunt.

Ego illam esse reor, cur Paradisus nec inventus sit, nec in-
veniri queat, verisimilem admodum causam, quòd Paradisus
ille diluvio perierit, & illa generali aquarum eluvione, quæ
cuncta terræ loca inundavit, & altissimè obruit, omnis paradi-
si pulchritudo, amœnitas, & venustas dissipata, & sublata sit.

Illius Allegoria.

Allegoricè S. Augustinus lib.13. Civit.21. & Ambrosius
l. de paradiso Paradisus, inquiunt, est Ecclesia: quatuor
flumina sunt quatuor Evangelia: ligna fructifera sunt Sancti,
fructus sunt opera Sanctorum, lignum vitæ est Christus,
Sanctus Sanctorum, vel est ipsa mater bonorum omnium sa-
pientia. *Ecclesiastici 24. vers.41. Prov.3. vers.18.* Lignum
B scientiæ boni, & mali est liberum arbitrium, vel transgressi
mandati experimentum.

Anagogicè iidem: Paradisus, inquiunt, est cœlum, & vi-
ta beatorum: quatuor flumina, sunt quatuor virtutes Cardi-
nales; scilicet, Ganges est prudentia, Nilus temperantia,
Tigris fortitudo, Euphrates justitia. *Vide Pierium Hieroglyphico* 21. vel potius quatuor flumina sunt quatuor dotes cor-
poris glorioſi. *Apocal. ult. vers.2.*

Ita S. Dorothea, cùm ad marryrium duceretur à Fa-
bricio præfecto, gaudebat, quòd se ad sponsum ire diceret,
cujus paradisus omnium florum, & fructuum amœnitate ver-
naret: Cùmque Theophilus scriba per risum rogaret, cùm
eò perveniſset, inde sibi rosas aliquot mitteret: Mittam, in-
quit. Postquam ergo decollata est, Theophilo puer, cum
recentium cistula rosarum apparuit, & quidem brumæ tem-
pore (passa est enim sexta Februarii) easque ipsi à Dorothea
de sponsi sui paradiso missas dixit: & cùm obtuliſset, ex ocu-
lis evanuit. Quare Theophilus ad Christi fidem conversus
martyrium obiit.

C

* Paranymphus.

Definitio, et Etymologia.

Paranymphus vox, usurpata à B. Hieronymo, &
aliis, pro eo, quem Pronubum dicimus, antiqui Auspi-
cem vocabant. Nam pro nuptiis celebrandis auspicium captа-
bant. Eratque auspex, qui ex parte viri se habebat. Quæ au-
tem ex parte mulieris erat, pronuba appellabatur.

Alia tamen hujus vocis significatio est veteribus usitata. Si-
quidem Paranymphus is erat, qui cum sponsa eodem curru, &
cum sponso ferebatur, tanquam hujus amicus, ac necessarius,
quem etiam Parochum fuisse appellatum Pausanias, & Suidas
asserunt, quasi quòd desponsorum curam gererent Paranym-
phi, iisque necessaria providerent, ut infra dicemus *in Loco de*
Parochis, sic Joannes Baptista *Joannis 3.* vocatur amicus
sponsi, quia Christi erat paranymphus.

Cæterùm *Gen. cap.26.* ubi legimus Ochazai fuisse amicum
Regis Abimelech, verterunt lxx. Paranymphum, quasi
is fuisset pronubus illius, ac consequenter illi intimus, ac fa-
miliaris. Siquidem Paranymphi desponsatos ad thalamum
D nuptialem deducebant. Eratque apud Persas intimi, immò se-
cundi à Rege, eratque ipsorum coronare Regem, & dicebан-
tur Surenæ. Præerant etiam cohorti regiæ, quæ constabat ex
fidelissimis, & amicissimis ipsi Regi. Unde Paranymphus
erat velut caput, & Dux principum, & aulicorum. *Ita Cor-*
nel. à Lapide in c.16. Gen. vers.26.

---

* Parasitus.

Definitio, et Etymologia.

Parasitus apud Græcos significat cum, qui aliorum
mensam, & cibaria sequitur. Ex παρὰ, quod significat jux-
ta: & σῖτος esca. unde Parati dicuntur, qui ad voluntatem ejus
in cujus contubernio sunt, loquuntur, & faciunt quidvis, cibi,
& ventris gratia. Hebræis dicuntur *Labbagh. Malgbagh.* quasi
fanniones faceti, subsannatores, qui offam aucupantur: vo-
cantur etiam Canipetæ, mensarum assectæ, Gnatones. Et de
illis intelligitur illud *Hesiodi*.

Hic quoniam didicit scelerate facta patrare,
Non vult furtificis manibus perferre laborem.
Ostia sed mavult per singula quærere victum,
Pascere quo ventrem jejunus possit aparum. E

Nomina, et Mores.

Nomen Parasiti prius honestum fuit, & sacrum, & à Græ-
cis illi dabatur, qui curam sacrarum epularum habebat, ut
testatur Pollux: nam & locus, in quo sacrarum frugum pri-
mitiæ reponebantur, παρασίτιον dicebatur, Postea inhone-
stum, & vile evasit, & Poetæ Parasitos κόλακας appellarunt,
ἀπὸ τοῦ κόλου, quod ἔσθιω, id est, cibum significat. Dicebа-
tur etiam λιμοκόλαξ apud Comicum Philemonem, quasi os-
sularum captator. Aliis tamen κόλαξ videtur dictus ἀπὸ τῆς
κόλπης, à ventre, cujus est mancipium, vel ἀπὸ τοῦ κολάζειν à pu-
niendo, sunt enim Principum, & aularum pestes certissimæ.
Sunt & mutatione unius litteræ κόρακες, id est, corvi; unde il-
lud Diogenis, satius est in corvos, quàm in parasitos incide-
re: propterea quod hi mortuos tantùm, illi devorant vivos:
vel ut Antisthenes dixisse fertur, quòd illi corpus mortui, hi
animum viventis lædunt.

Etiam αὐτολήκυθοι dicuntur, quod sponte ad Lecythum
commearent, & invocati præsto essent in conviviis. Item
ξεστοζώνοι mensarum liguritores. Κοισυλισχοὶ Athenæo, F
id est, catillones, qui nidore delectantur alienæ culinæ. *Vi-*
de Junium in Adagiis.

Dicti quoque leguntur γελωτοποιοὶ à studio captandi risum
apud Athenæum. Unde parasitus ille Plautinus Gelasinus di-
ctus est, ut ipsemet de se fatetur.

Hoc adeò nomen meruit, quia jam inde à pusillo
Puero ridiculus fuit.

Scaliger Cœnaturiones vocat. Alii Camæleonti, & Polypo
eos conferunt, quòd in omnem se vertant colorem. Tertullia-
nus *in lib. de Patientia*, operarios ventris. Laconas Parasitos
Plautus nuncupat, quòd sicut pueri Lacedæmonii se ultrò fla-
gris concidebant, sic illi plagas, & verbera sustineant.

Hinc parasitus ille *apud Terentium in Eunucho. At ego in-*
felix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.

Et Juvenalis Satyra 5. eos, qui divitum mensas sectantur
parasitis comparans, ait:

Ille sapit, qui te sic utitur, omnia ferre
Si potes, & debet: pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

Hi etiam à flagris eleganter flagrones, sive, ut in vetustis G
codicibus legitur, flagriones vocantur.

Parasiti etiam scorta vocati: *ut apud Plautum in Captivis.*
Ergasilus parasitus loquitur:

Juventus mihi nomen indidit scorto mihi,
Eò quod invocatus soleo esse in convivio,
Scio absurdè dictum hoc derisores dicere.
At ego ajo esse, Nam scortum in convivio,
Sibi amator talos quum jacit, invocat.
Estne invocatum, an non planissimè.
Verum Hercle, verum, nos parasiti planius,
Quos nunquam neque vocat, neque invocat,

Verùm parasiti etiam aliam ob causam scorta fuerunt ap-
pellati. De quo *Turnebus in suis Adversar.*

Item vocantur scurræ: ut *Horat. lib.1. epist. ep.18. ad Lol-*
lium:

Si benè te novi metues libertate Lolli
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor, infido scurræ distabit amicus.

Habes in hac epistola graphicam descriptionem. Scurram H
Græci βωμολόχον vocant. Neque verò multum interest inter
scurram, & assentatorem: aut si quid interest, tamen hoc in
loco scurram pro assentatore accipit.

Scurra, inquit *Isidorus*, qui sectari solet quempiam cibi gra-
tia, à sequendo dictus, unde idem astecla est appellatus.

Verrius similiter scurras vult à sequendo dictos, quod ut te-
nuioris fortunæ homines, & cæteri alioqui, qui honoris gratia
prosequerentur quempiam, non antecederet, sed sequi sint soliti.
Mihi potius scurra, vel à discurrendo, vel quasi sine cura vi-
detur appellatus, eo quod hujusmodi genus hominum secu-
rum, atque socors esse solet, & huc atque illuc ventris causa,
modò ad hanc, modò ad illam mensam discurrere.

Talis fuit Mævius ille, sub cujus persona omnium scurra-
rum, seu parasitorum mores, *Horat. lib.1. epist. ad C. Numæ-*
nium graphicè sanè his verbis describit.

Mævius, ut rebus maternis, atque paternis.
Fortiter abfumptis, urbanus συτρέπελος, ut in risu moven-
do sibi ad divitum mensas aditum comparet (*cæpit haberi.*

Scurra

Scurra vagus (rectè ergo scurra à discurrendo derivatur) A *non, qui certum præsepe teneret.*

Impransus non, qui civem dignosceret hostem.
Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus,
Pernicies, & tempestas, barathrumque macelli,
Quidquid quæ ferat, ventri donabat avaro.

Et paulò post:

Quidquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum, & cinerem, id est, confecerat, consumpserat.

Eorundem mores improbos Megaronides senex apud Plautum in Trinummo his verbis exprimit:

Nihil est profectò stultius, neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quàm urbani assidui cives, quos scurras vocant,
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturum sciunt,
Id que quod in aurem Rex reginæ dixerit,
Sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove
B *Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ii sciunt,*
Falsò an verè laudent, culpent quem velint
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant, &c.

Nominantur etiam Sycophantæ, ut Plaut. *Amphit.*

Nimis hic scitus est Sycophanta,
Observatote, quàm blandè mulieri palpabitur.

Vermilicus quoque à veteribus pro adulatore usurpatur, quod hæc vivendi ars vernarum propria sit. *Cæcil. Credo nimis tandem hic sit Vernilicus.*

Apud Plautum in Persa eleganter muneribus comparantur: quoniam quasi mures semper edunt alienum cibum, neque edacitate eos quisquam potest vincere. Sic in Captiveis.

Quasi mures semper edimus alienum cibum.

Unde ἀλλοτρόφαγοι à Græcis dicti: Homerus appellat ἀλλότριον βιὸν ἔδοντες. *Terentius in Eunucho:*

Videnotium, & cibus quid faciat alienus?

Loquens de parasito. Itaque facetè (ut multa alia) Diogenes Cynicus, qui cùm videret mures ad mensam suam subrepentes: En sibi, inquit, etiam Diogenes parasitos alit.

C *Plautus* porrò eodem in loco paulò post parasitos & cochleis comparat, & canibus his verbis:

Cùm rus homines eunt,
Ubi prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi cum coletur, cochleæ in occulto latent
Suo sibi succo vivunt, res si non cadit.
Item parasiti rebus prolatis latent,
In occulto miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.
Prolutis rebus parasiti venenatici (id est, tenues, macri, & ad cibum quærendum expedit.)
Sumus: quando rure redierunt molassici, (id est, pingues, obesi, proceri, mordaces.)
Odioscique, & multum incommodistici.

Apud Plautum & Curculio nomen est parasiti proprium; sic dictus quasi gurgulio, à verme edacissimo irumenti, & alius dictus Saturio in Persa per Antiphrasin à saturitate, quasi qui nunquam expleri possct.

Sic in milite glorioso Artagrogus à devorandis panibus nomen sortitur.

D Sic Peniculus in Menœchmo, quod tanquam spongia mensam, ita ipse reliquias ciborum devoret.

Atque omninò Plautus parasitorum edacitatem, mores, facta, & dicta ridicula, graphicè passim in suis Comœdiis describit.

Eosdem Emblematicos quoque depinxit *Alciatus*, hunc in modum,

Quos tibi donamus, suviales accipe cancros:
Munera conveniunt moribus ista tuis.
His oculis vigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus, maximaque alvus adest.
Sic tibi propensus stat pingui abdomine venter,
Pernicesque pedes spiculaque apta pedi.
Cùm vagus in triviis, mensaque sedilibus errat,
Inque alios mordax scommata falsa jacis.

☞ *Vide, Adulator, Amicus, Voracitas.*

CONTRA PARASITOS ODIUM. CONTEMPTUS.

PARASTI MALE HABITI.

E Heliogabalus Imperator Parasitorum, licèt consuetudine plurimùm sit delectatus, ob animi sui levitatem: tamen eosdem miseris sæpè modis pro sua sævitia accepit. Illis enim hominibus in secunda mensa sæpe cereum cœnam, sæpè ligneam, sæpè Eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam, vel marmoream etiam, vel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diversa materia, quæ ipse cœnabat, cùm tantùm biberent, per singulas fercula, & manus, quasi comedissent, lavarent. Hæc de illo scribit *Lampridius*.

Et paulò post idem testatur, illum parasitis misisse per cellarios (qui penui asservando præerant, quos hodie vulgò Cellarios vocant) cellaria annua, vasa cum ranis, & scorpiis, & cum serpentibus, & hujusmodi monstris. Claudebat in ejuscemodi vasis infinitum muscarum numerum, apes mansuetas eas appellans.

Hujusmodi forsan donis, miseris illis homuncionibus suam naturam, nempe ranarum, scorpionum, serpentum, muscarum simillimam exprobare voluit.

Exhibuit etiam parasitis cœnas, & de vitreis, ac nonnun- F quam tot picta mantilia in mensam mittebat, his edulibus picta, quæ apponerentur, quot missus esset habiturus, ita ut de acu, aut de textili pictum exhiberetur. Nonnunquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur, ita ut quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur.

Eosdem quoque, in tricliniis versatilibus oppressit violis, & floribus, sic ut animam aliqui efflaverint, cùm eripi ad summum non possent. Hæc *StucKius in Antiquit. Convivial.*

PARASITI IN AULIS GRATI, PERNICIOSI.

☞ *Quære locum de Adulatione*

PARASITI ELEGANS EPITAPHIUM,

G

Quod Panormi in Sicilia visitur.

Viatores Cives optimi, vel advenæ, sive Bini, sive singuli inceditis, sive turmatim, Quod magis erit gratiæ: sistite, obstirmate gressum: nec mireamini, si moraminl aliquantisper. Dicaculus equidem fui: succinctus sermo dari vobis non potest: Juvat vobiscum esse, ac ab ore meo pendulos detinere, ut juvit semper. Saxum hoc vos vocat. Quid, inquam? vivus assuevi, prudens, imprudens, mortuus item vos fallo. Nam non vos vocat, quod vacat ore, verùm is quovis cinis hic latet, olim cùm potuit, nunc huc vos vocari voluit, valuitque hoc. Hæc olim sua voluntas volentes vos legere hoc scriptum: Vah, quid loquor? immò sculpum: Quàm ægrè veritas adhuc se mecum conciliat! Nam neque hic atramentum, vel papyrus, aut membrana ulla adhuc, sed malleolo, & celte litteraturus silex, silens adhuc. Quid hic latet, latè quod ego efferri, & effariqestio? Sertius Pollensis Parasitus, Histrio vester festivissimus, hic cubo: hoc unum quidem tandem spontè dictum, verum est: si Quis dubitat, banccine olfaciat bumum: Olet temetum, & florem vini veteris: quo fatur, satis juvenis hausi, ut si vixi vitam, tam vobis gratam, quàm notam urbi, & orbi, non minus munus hoc à vo- H *bis impetrem oportet: adesse mihi, & favete, edicoque huic vos subscribite, & obsignate. Si quis sibi vesicam onustam senserit; Domum suam onus hoc reportet in cloacam: si verò festivus fuerit; citerior, vel ulterior hoc loco pro religione se revacuet. Qui non paruerit; hæc multa illi esto: teste altero ut caveat. Canes quoque cæsi fustibus edictum hoc sentiant. Assuistis, faviistis, & obsignastis. Teneo, quo modo risum vobis dare stio: huic, Sentio, dictum volui esse. Sed quid hoc est. Quod tam Familiariter istuc procedit veritas. Profectò contagione mei sistit ipsa quoque, & mihi supparasitatur, quæ ultrò potum invocata advenit: nunc si urbani perhiberi vultis, & veritati supparasitanti, & arenti meo cineri cantharo piaculum vinarium festinate: post valete, abite in rem vestram, Viatores optimi, his nugis, ambagibus condonate positumis.*

* Parens

A * Parens, Parentes.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PArens. Græcè γονεῖς. Est autem parens non modò pater & mater, ut vulgus putat, sed àvus, proavus, & avia, proavia. Quin etiam Cajus Jurisconsultus sentit, omnes superiores parentis appellatione contineri. Venit autem parens à pario, paris. Est enim parere, fœtum emittere, quod proprium fœminarum est. Dicitur etiam de viris. Cæcilius: Hic vicinus noster peperisse se filium memorat, hoc est genuisse, Metaphoricè etiam parere, est acquirere, comparare. Virgil. *Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo, decorate supremis Muneribus.*

Parens, Hebr. *Joled* Parentes *Joledhim*, Obstetrix, quæ juvat matrem parientem *Jalledheth*, Obstetrices *Jalledoth*, de patre dicitur, *Jalad*, ut & de matre, id est, genuit, generavit: & de patre, *Holidh*, in 3. conjugatione, id est, genuit, fecit parere: *Joled, Meladh, Jaledh, & Iillodh*, Natus, puer, filius, infans: *Jaleddah*, puella, juvencula, puellula.

B PARENTUM OFFICIA, ET CURA ERGA LIBEROS.

☞ *Vide nonnulla in loco de Educatione, & Lactatione.*

Item de Institutione.

EX S. SCRIPTURA.

Ingens fuit Elcanæ, & Annæ circa filioli sui Samuelis institutionem pietas, dum eum totum Deo consecrant, ut cunctis diebus vitæ suæ ei jugiter inserviret, 1. *Reg.* 1.

Nec minor Davidis fuit pietas, cùm filium suum SALOMONEM magna & fide, & solicitudine tradidit Nathan Prophetæ instituendum, cui brevi post moriturus regni administrationem, & cultus duini curam commendavit, 3. *Reg. cap.* 2.

Quantam pro liberorum suorum salute curam gesserit pius JOB, ex eo patet, quòd quotidie pro iis apud Deum deprecatus sit. Magna etiam in TOBIA seniore pietas elucescit, dum filium ingenti cura erudit, & quæ ipsi facienda, præcipit. *Job c.* 1.

RAGUEL, & Anna filiam suam Saram piè, & pudicè educatam dimittentes, monent eam, ut honoraret soceros, diligeret maritum, regeret familiam, gubernaret domum, & se- C ipsam irreprehensibilem exhiberet, *Tobiæ* 10.

SUSANNÆ parentes scriptura commendat, quòd cùm ipsi justi essent, filiam etiam suam secundùm legem Moysi erudirent, *Daniel. cap.* 13.

Magno etiam fervore MATATHIAS filios suos, ne à veritate, ejusque propugnatione deficiant, exhortatur, cujus præcepto illi animo sedulò obsecuti sunt. 1. *Machab.* 3.

Magnam meretur admirationem septem filiorum fratrum constantia, qui fidelem matri suæ viduæ exhortationem, immò pectori infixam habentes, immanissima tyranni ANTIOCHI tormenta despicatui habuere, eisque superatis, mente invicta inter sanctos Angelos triumphant. 2. *Machab.* 7.

HISTORICA.

Imperator CONSTANTINUS Magnus, ut ultimis orbis terrarum finibus victorias suas terminasset, universum Imperii statum tribus filiis suis partitus est, Avitam sortem grandiori natu filio: Orientis partes huic ætate proximo: D quod verò inter hæc medium interjacebat, tertio filio tribuit. Sed cùm vellet hanc eis fortunam feliciter credere, & ex animorum salute esse; pietatis etiam in eis semina sparsit, & cum suis divinis præceptionibus, tum magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus insignes eis præfecerat: quemadmodum etiam & in aliis disciplinis eos asciverat, qui essent in suo genere consummatissimi. Nam alii eos bellicis disciplinis exercebant; alii præceptis de Republica imbuebant; alii legum peritos efficiebant: eos verò absentes litteris regiis compellans salutaria præcepta dabat: in quibus illud maximum, & præcipuum fuit, ut Dei, qui omnium rerum Dominus est, cognitionem, & sanctam adversus illum regionem omnibus opibus, atque adeò ipsi regno anteponerent. Hortabatur etiam, ut summa cura afficerentur erga Ecclesiam Dei, præcipiebatque, ut planè, & sine fuco Christiani essent. Atque eos quidem pater sic instituebat. *Euseb. Cæsar. lib.* 4. *de vita Constantini c.* 51. & 52.

CAROLUS Magnus Imperator maxima cura liberos educavit. Nunquam domi sine ipsis cœnavit, nunquam iter fecit, quin filii adequitarent, filiæ vehiculo extremum agmen claudente subsequerentur: ipsos liberalibus studiis institui justit. Mares simul, ac pertætem licuit, more Germanorum equis, armis, venationibus exercuit: fœminas verò etiam lanificio, colo, fusoque, ne otio torperent, assuefecit. *Annal.* E *Boior. lib.* 4. *Æmil. lib.* 2. *Jo. Cuspin. A. D. in Carol. Mag.*

Providentia divina illud præcipuè curans, ut pius maximè THEODOSIUS Imperator fieret, alium quoque tutorem germanum magis Imperio ejus præfecit: Pulcheriam nimirum sororem, quæ à prima statim ætate ita sapuit, ut virtute, & civili prudentia eis non cederet, qui in his rebus maximè excellunt. Illud autem plurimùm curavit, ut in Imperatoris artibus is educaretur, atque disciplinis ætati cuique convenientibus institueretur. Ita ille rem militarem, & equestrem ab eis, qui rerum talium accuratè periti erant, didicit. Ut autem in publicis progressibus quovis tempore, ita ut imperatorem decet, magnificus esset, & splendidus, ab ipsa edoctus est: quemadmodum, scilicet, vestem sibi ipsi circundare, quomodo considere, incedere, & risum moderari deberet: ut in rebus quibusque se, prout tempus ferret, vel placidum, vel terribilem exhiberet, & commodum audiendis supplicantium precibus præberet. Potissimùm verò eum docuit justitiam, & veram pietatem, sicuti convenit colere, precari continenter, templa adire frequenter, ædes sacras Deo F constructas vasis, donariis, & ornamentis locupletare: sacerdotum ordinem, simulque viros bonos, qui Christianorum legibus optimè viverent, facere. Hæ ejus erant institutiones: *Niceph. lib.* 14. *hist. Eccl. c.* 2.

THEODOSIUS Imperator liberis suis virtutis magistrum præficere volens, Arsenio illi, cujus gloria terram sub sole omnem pervagata est, invento, eos commisit: quibus ille susceptis, cum disciplina omni præceptoris, tum liberali educatione patris illis loco fuit. Imperator enim illum, ne quem ex Imperii sublimitate conciperet metum, sed illis potius, ut servis uteretur, admonuerat. Tantùm verò, ut id ille fecerit, abest, ut insigni modestia, & moderatione diversum potius fecerit. Et cùm derepentè Theodosius ad eos aliquando veniisset, pueros quidem cùm splendore magnifico considentes, Arsenium autem inter docendum eis assantem reperit. Qua de causa Imperator indignatus, cùm illos insignibus principalibus nudavit, tum sempiterna memoria dignum, & verè imperiale illud verbum est proloquutus: Si tales se præbituri essent, ut mores, vitamque suam ad disciplinam, & leges Dei componeret, propensum, & illum fore, ut eis imperium in manus tradat, ad civium & subdito- G rum commodum, & utilitatem accomodatum: sin minus, conducibilius eis esse dixit, ut sic privati vitam exigerent, quàm doctrina nulla cùm periculo imperarent. *Nicepher. Callist. lib.* 12. *histor. Eccles. cap.* 23. *apud Baron. tom.* 4. *Annal. an. Christi* 383.

ARCADIUS Imperator vitam cum morte commutaturus, adolescentulo admodum Theodosio Juniore filio suo, octavum videlicet annum ingresso, à matre quoque, cùm trimulus esset, relicto, ne quid contingeret metuens. Ildigerdem Persarum Regem curatorem ejus, & simul Imperii, donec ille in virum evaderet, testamento instituit. Quod ubi Ildigerdes cognovit, re ea minimè neglecta, novum quoddam admirandæ virtutis exhibuit specimen; Pace namque prolixa, centum annorum induciis cum Romanis initis, Imperium Theodosio, quo minus periclitaretur, conservavit: & Antiochum quendam virum admirandum, & præclarum, delectum veluti tutorem, & pædagogum, cum litteris in hæc verba ad Senatum Romanum misit; Cùm Arcadius H Imperator vester me filii sui curatorem instituerit, qui officio meo fungatur, virum istò misi. Ne quis igitur puero insidias struere audeat, ne bellum ipse implacabile adversùs Romanos moveam. Et Antiochus ubi Constantinopolim venit, puerum ita ut Imperatorem decet educavit: illud providens, & curans, ut simul puer, & magnificentiam in publicum progressus retineret & rebus bellicis optimus esset. Cùm autem quadriennium cum eo fuisset, discessit. *Idem lib.* 14. *cap.* 1.

Hinc imitatus JACOBUS VIII. Aragonum Rex, vehementiori febre, morboque gravatus, cùm se moriturum penè cognovisset, vir Christianissimus, omnibus negotiis, & humanis rebus omissis, animæ statim prudentissimè consuluit: accito enim sacerdoti magna contritione confessus, omnia Ecclesiæ sacramenta devotissimè recepit. Postremo die non minori diligentia testamentum condidit, in quo Petrum filium natu majorem in regno Aragonum, Valentiæ, &c. & Jacobum filium minorem instituit in regno Majoricorum, &c. Hoc modo testamento celebrato, Petrum filium ab exercitu vocari, & ad se venire jussit, cui coram multis nobilibus, cùm ea, quæ

testamento

testamento scripta fuerant, recitasset, primum Dei cultum, & omnes res divinas, & deinde fratrem Jacobum, & omnes equites, domesticos, familiares, & populos diligentissimè commendavit. Petrus autem genibus flexis patris manus, & pedes osculatus ejus omnia justa libentissimè se factutum respondit. His rebus confectis, Rex, ut qui rebus humanis renunciarat, sibi Cistercienſis Ordinis habitum induit, & de Rege se monachum, & religiosum fecit, atque Deo servire maximè cupiens, Populetum proficisci statuit, ibique permanere. Cæterùm cùm ex Algezira Valentiam delatus esset, ibi gravius ægrotans vitam finivit an. 1276. 8. id. Aug. ætat. an. 72. *Luc. Marin. de reb. Hisp. lib.* 10.

Ludovicus CRASSUS Francorum Rex regnavit triginta annis: & ne quid fortunato deesset, cum fatalem sibi diem appetere sentiret, revocavit filium Ludovicum juniorem Regem è Vasconia; coramque hortatus est, obtestatusque, ut magis piè regnaret, quàm ipse feciſset, religionem coleret: egentibus consuleret: orbis, pupillisque prospiceret: paci, communique dignitati, ac saluti inserviret: Regnum nihil aliud quàm procurationem, munusque publicum existimaret: cujus in vita administrati reddendam exactè rationem continuò post fata sciret, sedente in se immortali judice, suaque cuique facinori parata præsenti, sempiternaque mercede. *Paul. Æmil. lib.* 5. *hist. Franc.*

BLANCHA Hispana D. Ludovici mater, eo adhuc impubere, ex mariti testamento rebus administrandis præfecta, quòd mulier, quòd externa; quòd externorum fide, consilioque uteretur, iniquos, æmulosque habuit: alioqui sine controversia, sine exceptione laudibus cumulata. Ferunt illam à puero filium ita instituisse, eaque religione imbuisse, ut in animum induceret, malle emori, quàm scelus concipere. Patrem quoque Ludovicum Regem, opinio est, ea continentia in summa omnium rerum licentia, temporibusque corruptissimis extitisse, ut usum voluptatum intra septa monasterii cohibuerit: ut mirum non sit, tali utrimque indole, domesticisque institutionibus, ac exemplis sobolem sanctam fuisse. Et sanctam etiam per se matrem filius, ubi adolevit, etiam sanctiorem effecit. *Paul. Æmilius lib.* 7. *hist. Franc.*

S. MONICA divi Augustini dupliciter mater, quia eum & mundo, & cœlo peperit, marito mortuo, quem sanctute confectum Jesu Christo conciliavit, castam, & operibus misericordiæ exercitam viduitatem agebat; in assiduis verò ad Deum orationibus pro filio, qui in Manichæorum sectam inciderat, lachrymas effundebat, frequens in sacris conventibus, atque assidua in Ecclesia erat.

Si unquam ostendit educatio, quantas vires habeat ad mores ingenerandos, certè in illis duobus fratribus Venceslao, & Boleslao mirificè demonstravit. Nam Venceslaus Boemiæ Princeps, quem Ludmilla religiosa mulier educavit à puero, sanctissimus evasit, atque optimus: at Boleslaus isdem orcus parentibus, quòd à Drahomira impia sceleratissimaque fœmina educatus sit, impius, immanis, crudelis, & importunus extitit, eòque pervenit, quoad progredi feri hominis amentia potuit. Nam Drahomiræ suæ altricis vestigiis ingressus, quæ & Ludmillam socrum, ac multos Christi sacerdotes occiderat, Venceslaum fratrem quoque interemit, humanaque, & divina jura violavit. Nutricis verò, magistræque Drahomiræ nefaria institutio impunita non fuit: cum enim per eum locum, ubi sacerdotum corpora insepulta jacebant, curru vecta transiret, subitò terra dehiscens Drahomiram ex numero vivorum exturbavit, currumque, & vectores reliquos depressit, atque demersit, unico incolumi auriga, qui tintinnabuli signo admonitus ad aram non longè positam, frementè Drahomira, rhedariique religionem, & pietatem execrante, ex equo desiliens Christi sacrosanctum corpus veneraturus accurrerat, quod sacerdos rem divinam celebrans offerebat: nec non sacrilegi, & parricidæ Boleslai dementia punita est, & vindicata divinitus; nam templi paries, quem Venceslai cruore frater infanus, & præceps amentia respersserat, detergi, abluique non potuit, ut nefariæ cædis testis esset æternus. Sic videlicet principiis exitus, primisque extrema consentiunt. *Dd Joa. Dubravius Omoluc. Ep. lib.* 4. *& 5. hist. Boemicæ, & ex eo. Jo. Bonif. de Instit. pueri Christiani lib.* 1. *cap.* 1.

Julianus Imperator, cum adhuc tenera esset ætate, & necdum ex pueris excessisset, lac suxit piæ, sinceræque doctrinæ. Quinetiam cum pubesceret, & ipsam attingeret adolescentiam, eandem doctrinam tenuit. Nam veritus Constantium, qui dum exerceret tyrannidem, cognatos è medio sustulerat, in electorum numerum adscriptus est, & sacros libros in Ecclesiasticis conventibus perlegit. Sacram item ædem Martyrum construxit ille quidem; sed Martyres eam non æqui, bonique consuluerunt; propterea quòd præviderant illum à verò Dei cultu ad impietatem deflexurum. Nam fundamentis ejus ad similitudinem inconstantis, & levis mentis Juliani agitatis, ædes prius, quàm consecraretur, dissecta corruit. Julianus siquidem posteà metum, qui ei perutilis, & necessarius fuerat, ejecit ex animo; & jam armare se audacia, & contrà quàm debuerat, Imperii cupiditate exardescere cœpit. Imperium nactus diù suam occultat impietatem, eam tamen postmodum patefecit. *Theodoretus Cyri Ep. l.* 3. *hist. Eccl. c.* 2. *&* 3. *Socr. lib.* 3 *c.* 1. *Sozous lib.* 5. *cap.* 3. *Niceph.* 10. *c.* 2.

Erat Volusianus Gentilis homo, inter Romanos nobilitate nulli secundus, & Philosophicis disciplinis imbutus, inter primos Philosophos adnumerandus, cujus mater Christiana fœmina religiosissima erat. Quæ occasionem nacta profectionis Marcellini Tribuni in Africam, apud ipsum sollicitè egit, ut cum Augustino, (quem fama sciret omnium disertissimum) ageret, uti scriptis suis Volusianum filium ad fidem Christianam amplexandam, omni studio adhibito, conaretur adducere. Interpellatur igitur Augustinus litteris Marcellini, & ipsè matris Volusiani precibus fatigatur, qui & ad ejus conversionem addixit animum: nam cùm Carthagine esset, cum ipso frequenter egit, ut Christianum se faceret. Provocavit, aperuitque Augustinus illi viam, ut de fidei Christianæ veritate solicitus inquireret, divinas scripturas legeret, & si quid in illis oboriretur quæstionis, ad se scriberet. His acceptis litteris Volusianus, quæ in fide Christiana sibi viderentur absurda, declarat, eademque solvenda proponit: nimirum videri sibi Deo indignum, carnem suscepisse humanam, aliaque ad hæc spectantia operatum. Huic autem quæstioni, aliisque id genus objectionibus egregiè licèt responderit Augustinus, datis ea de re ultrò, citroque litteris; ab ipso tamen Volusianus, ut converteretur, persuaderi tunc minimè valuit; quòd prava mens ejus ob cultum magorum nimium in transversum acta esset. Ut tamen vel serò fidei sigillo per baptismum ante obitum muniretur, ardentissimæ matris ad Deum preces pro ipsius salute feliciter impetrarunt, hac data occasione sanctæ Melaniæ neptis ejus, quam videre avidè cupiebat ad ipsam properet dedit litteras; quo tempore creatus erat Præfectus Romanæ civitatis, & missus Legatus Byzantium ad Eudoxiam Imperatricem. Itaque beata Melania videndi Volusiani patrui sui pariter cupida, Hierosolymis egressa eò iter facit. Invenit autem patruum gravi morbo oppressum. Qui ejus habitum, ac formam admiratus (extenuatus enim admodum erat vultus ejus exercitatione) magna voce exclamavit: O qualem ex quali te video, Melania charissima. Illa verò ex ejus sermone sumpta occasione: A me quoque, inquit, disce, ô beate patrue, & accipe judicium futurorum bonorum: nam nec ego tantam despicatui gloriam habuissem, nec pecuniam, nec corporis curam abjecissem, nisi persuasum haberem, me his propediem longè majora acceptaturam. Falsam autem ejus religionem sensim studebat labefactare, tam per se, quàm per alios: ac tandem effecit eam infestante quantumcumque hoste, ut baptismum consequeretur, & cùm eum confirmasset, & de ea, quæ sursum est, vita disseruit, lætum, & bona spe præditum transmisit ad viam, quæ ducit ad Deum, cum pulcherrimo viatico, nempè pretioso Christi corpore, & sanguine. *Ex D. August. epist.* 2. *&* 3. *Baron. tom.* 5. *Annal. an.* 412. *&* 434.

Narrat PRUDENTIUS poeta, Christianum puerulum nondum septennem, Romani martyris nobilissimi filium rogatum coram Asclepiade Præfecto, Dei unius essentiam, & Christi Deitatem, explosa deastrorum Ethnicorum multitudine, constanter asseruisse. Matre accersita, justit tyrannus carnificem, ut pusionem sublime tolleret, manu pulsaret nares, mox remota veste virgis verberaret. Cunctis flentibus, & ad tam immane spectaculum obstupescentibus, Mater imperterrito vultu, & serena fronte, & amore Christi contumax doloribus stetit. Parvus se fitire exclamat, mater autem eum increpans dicit: Christianum cedere morti non debere, aquam vitæ in Christo sufficere: fontem illum perennem esse proximum, calicem infantum Bethleemiticorum esse exhauriendum. Isaaci parvuli obedientiam, & septem puerorum ex Machabæorum historia commemorat. Parvulus virili animo virgas strepentes, & dolores vulnerum ridet, tortoribus, & tyranno insultat victor. In rabiem actus Asclepiades puerulum capite mulctari jubet. Mater natum gerebat amplexu, & sinu puerum

rum popoſcit carnifex, mater dat, nec immorata est fletibus, tantùm osculo impresso ei dedit. Et dum amputat cerviculam carnifex, mater pfallere docta Davidis *Psalm.* 116. canebat:

Pretiosa sancti mors sub aspectu Dei.
Tuus ille servus, proles ancillæ tuæ:
Talia retexens explicabat pallium,
Manusque tendebat sub ictu, & sanguine
Venarum ut undam profluam manantium
Excepit, & charo applicavit pectori.

Prud. lib. Peristephan. seu de Coron. Hymno 10.

AVRELIANO Principe adversùs Christianum nomen diram persecutionis procellam excitante, Augustoduni erat Symphorianus Fausti nobilis viri filius, Christiana familia ortus, litteris, & moribus probè institutus, adeò ut tantam bonis omnibus virtutum suarum spem faceret, ut cuncti non sine admiratione cum supernis civibus magnam eum consortium habere statuerent. Illustrabat enim eum cœlestis sapientiæ spiritalibus gemmis ornata simplicitas, & ipse prudenter malè blandientis mundi naufragia vitabat. Per id tempus Heduorum civitas Augustodunum, antiquæ nobilitatis titulis, & sacrilegæ religionis referta cæremoniis, diversis gloriabatur idolorum templis, errorique serviens, Berecynthiæ imprimis, Apollinis, & Dianæ cultum studio propensiori complectebatur. Convenerat tum ad Berecynthiæ matris dæmonum profanam solemnitatem multa populi frequentia. Porrò Heraclius consularis ea in urbe, ad perquirendos, discutiendosque Christianos cumprimis sagax, & curiosus residebat. Adfuit & Symphorianus, & cùm statuam Berecynthiæ, quæ carpento vehebatur, agminibus stipata popularum per contemptum adorare nollet, publicæ seditionis prætextu comprehensus tenetur, & Heraclio consulari offertur. Is verò pro tribunali sedens ait ad eum: Nomen tuum, conditionemque edito. Ille respondit: Symphorianus dicor, Christianus sum. Judex dicit: Christianus es? Nos igitur, ut video, latuisti. Nobis hujus nominis professio non magni momenti videtur. Sed cur deæ matris effigiem profana abusione despectam adorare noluisti? Symphorianus respondit: Paulò antè jam dixi, Christianus sum, Deum vivum adoro, qui regnat in cœlis. Simulachrum verò dæmonis non solùm non adoro, verùm etiam, si permittis mihi, malleis illud mea auctoritate comminuam. Tum judex: Iste, inquit, non solùm sacrilegus, sed etiam rebellis conatur existere. Sed forsitan decretorum Principum ignarus nimium sibi de nobili familia, & indole gloriosa applaudit. Itaque ab officio Imperatorum edicta recitantur. Lectis igitur edictis, Symphorianus, Judice urgente, ut intenta crimina dilueret, respondit: Nunquam ego hanc statuam aliud, quàm diabolicæ persuasionis infaustum simulachrum, & publicæ perditionis dæmonem putabo. His auditis Judex furore percitus ait: Symphorianus publici criminis reus, qui sacris aris nefariis vocibus injuriam irrogavit, gladio ultore feriatur. Ea prolata sententia, cùm vir beatus duceretur ad mortem, Christi victima futurus, venerabilis mater ejus de muro sedula illum voce, & oratione ita exhortabatur: Nate, nate Symphoriane, memento Dei vivi. Concipe, fili, concipe animi constantiam. Timere non posiumus mortem, quæ citrà dubium perducit ad vitam. Sursum, fili, erecto corde aspice illum, qui regnat in cœlis. Hodie tibi, nate, vita non tollitur, sed mutatur in melius. Si hodie perduraveris, fili, ad cœlestem gloriam, & supernam nobilitatem felicissima commutatione migrabis. Ita ergo S. Martyr extra muros eductus à carnifice cæsus est, purpurei sanguinis sui unda perfusus. *In vita S. Symbor. mart. apud Sur.* 12. *Aug.*

Neque alienum est à proposito argomento, quod habet *D. Nazianz. Carm.* 49. *ad Nicobulum.*

Quod tua progenies ego sim, pater optime, parvum
Munus id esse reor. Nam brutis omnibus hic mos,
Atque hominum generi flagrare libidinis æstu.
Consilioque Dei vitam capiuntque viciſſim,
Dantque aliis laudemque ipsi post ultima fata,
Semen ut in spica, redivivo flore viresc unt.
Aſt etiam me post aluit tua cura? Quid autem
Hoc iterùm magni? Vituli quoque plena parentis
Ubera fronte premunt, atque hunc perferre laborem
Vis adigit, dulcis tamen hæc jucundaque matri.
Stridula quin etiam prætervolat undique pullos
Implumes volucris, seque hìc, illicque fatigat,
Pabula dum proli nutrix impasta requirit.
Namque patres, prolemque fagax devinxit amore
L. B. Theat. vit. Human.

Natura eximio, patribus commenta medelam:
Scilicet ut curas amor hic levet, atque labores.
Unde etiam mater furibundas concipit iras
Ob vitulos, avis ob pullos, canis obque catellos
Aspera bella gerit, rabidoque incensa furore
Pardalis è saltu erumpit, ruit impete cæco
Sævus aper, micat ex oculis vis ignea, setæ
Horrescunt, seque exacuunt cum murmure dentes:
Maximus unde vapor manat, spumaque cadente
Turpatur gena dum sobolem defendere gestit,
Aut amat hostili pugnans occumbere ferro.
Perdocet hæc philtri nullum lex nacta magistrum:
Quid referam vespas, quæ si quem accedere petris
In quibus est ipsis sedes, videre, repente,
Nil licet ille mali vespis inferre tenellis
Cogitet, exiliunt, ingens exercitus, atque
Horribiles bombos edunt, miserumque cruentant.
Quinetiam, si vera ferunt, in piscibus ipsis
Lex viget hæc, Delphinus enim rex æquor eorum,
In sobolem si quos immani corpore pisces
Conspiciat ferri, sua pignora protinus ipse
Devorat, ac pulso mox egerit illa periclo.
Ortum igitur jam parce mihi proferre, cibumque
O genitor, quem tu famulis, pecorique ministras
Amplius his aliquid, mortali sanguine cretus
Ut qui sim, satus atque bono genitore, requiro.
Da veniam, si quid mordacius eloquar: haud me,
Chare parens, vita donasti luce volentem.
Post autem educto lachrymoso ad limina vitæ
Legibus impulsus naturæ alimenta dedisti.
Quòd si me genitum linquas, erit ô pater, abs te
Mortalis pro mortali productus in ævum.

Idem Nazianzen. Carm. 49. ad Nicobulum patrem.

Hæc mea te moveat pater haud inhonesta cupido.
Vidi ego namque patrem sobolinon æqua petenti
Cedere nonnunquam, ut medicum jucunda ferentem
Mixta salutiferis, quod dulcibus utile rebus
Temperet, ac morbum per pauca nocentia pellat.
Vidi etiam perſæpe patrem, cui nonnihil esset
Doctrinæ, literarum avido tamen ipse lubenter
Cedebat nato, peregrinaque vota benignus
Explebat, proli indulgens, præbensque cupita.

Æmulatus hanc pietatem in filium EDOVARDUS II. Angliæ Rex, qui cum Philippo Franciæ rege manus conferens, dum filium in prima acie acriter urgeri intelligeret, Ne, inquiebat circumstantibus, hodie à me subsidium postuletis, quamdiù filius adhuc superstes. Volo ut nunc virtutis suæ specimen sedat, atque victoriæ laus omnis penes eum sit. Tam gloriosum reputabat talem habere filium, qui pro patria libertate suum latus hosti opponeret. *Ex Froſſard, histor. Gall. lib.* 1. *Beyerlinck. in Apoph. Christian.*

At memorabile, quantam filiorum curam gesserit paterna pietate motus Babo Apensbergensis Baro. Habebat numerosam sobolem, ita ut ex duabus uxoribus legitimis duos, & triginta filios, atque octo filios superstites post se relinqueret. Cùm ergo Henricus Cæsar sub annum 1015. amici causa aucupium instituisset, Babonem invitavit, paucis equitibus præsens etiam adesset. Ille opportunitatem se nactum arbitratus, ut filios Cæsari commendaret, juvenes scitos, & probè institutos ornat, & cuique comitem adjungit, talique filiorum comitatu ad Imperatorem venit. Qui visa ea multitudine, rogat quasi indignabundus Babonem, cur, cum paucis venire jussus, tot equites adduceret; ille, Non sunt equites, Auguste, inquit, quos tua Majestas conspicatur, sed tui famuli, mei filii legitimi, quos eidem T. M. exhibeo, dono, consecro, eosque, ut ingenuam decet sobolem, maxima cura educavi. Imperator singulos appellat, dextra, & osculo excipit, filios nuncupat, secum consistere in aula jubet, omnesque paulatim stipendiariis prædiis, castellis, & vicis locupletavit. *Ex Hieron. Zeigler. in Hist. Illustr. vir. Germ. Beyerlinck supra.*

Neque mulierum hìc laudem detrecto, aut earum gloriam involvo. Sunt & inter has quamvis rariores, quæ hac virtute polleant. Facem cæteris præfert, cujus meminimus paulo antè; Blanca Ludovici istius mater Franc. Reg. quæ dum optimis moribus filium instituisset, quandoque dixisse fertur: Malim, ô fili, te vita privatum, quàm ulla virtute relicta, unum lethale peccatum perpetrantem. Imitentur hanc omnes matres,